

Franciscus Pipinus

*Bernardi Thesaurarii Liber de
acquisitione Terrae Sanctae, capp. I-LXX*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Franciscus Pipinus

*Bernardi Thesaurarii Liber de
acquisitione Terrae Sanctae, capp. I-LXX*

1322

BERNARDI THESAURARII LIBER DE
ACQUISITIONE TERRAE SANCTAE *Ab anno 1095
usque ad Annum circiter 1230.*

CAPUT PRIMUM. *Qualiter Arabum rex civitatem
Hierusalem evertit, quam etiam subverterat rex
Persarum.*

Heraclio imperatore Christianissimo Romanum imperium gubernante, qui coepit anno humanatae Divinitatis DCXI Mahometus Christianae Fidei perfidus adversator, se Dei prophetam mentiens Orientales plagas, et maxime Arabia, sua perfidia labefecit. Legem enim a Diabolo dictam ministerio Sergii Monachi apostatae ac haeretici tradidit Saracenis Arabice scriptam. Ipse quidem vir illiteratus fuit, sicut ipse protestatur in Alcorano suo. Sed quae Sergius dictabat, ipse Mahometus Populo promulgabat, ea per comminationes statuens observari. Fuit enim luxuriosus et bellicosus, ideoque leges immundas tulit et varias, quas carnaliter viventes in parte voluptatis firmiter observabant. De victo autem et occiso Cosroe Rege Persarum ab ipso Heraclio, delatoque in Hierusalem vivificae Crucis Ligno, quod Cosroes ipse inde exportaverat in Persidam, imperator idem Heraclius virum venerabilem re et nomine Modestum Hierosolymitanum instituit Patriarcham, cuius etiam consilio ac dispositione cunctas Ecclesias, quas idem Cosroes dirui fecerat, profusissimis reparavit expensis. Interim Haumarus filius Caraph, Arabiae principis a Mohometo tertii, patre iubente cum innumerabili gentium multitudine Palaestinam advenit, captaque ibi civitate, quae Gaidres dicitur, Damascum festinavit, eamque vi cepit. His Heraclius Imperator eventibus

cognitis et quod Haumari exercitui non posse obsistere, suorum consilio discessit e Syria. Quo cognito Arabum rex laetis sibi successibus in tantum elatus est, ut brevi tempore universam Terram ab Heraclio recuperatam subegerit, cedente etiam sibi ad victoriarum successum, quod praefatus Cosroe Civitates et oppida Provinciae fere cuncta subvererat, et grandi strage inflicta populis, multos exinde captivos abduxerat. Hierusalem quoque Sanctam Civitatem evertens, triginta tria millia hominum in ea neci tradiderat, auferensque Lignum Crucis Dominicae, Zachariam Hierosolymitanum Patriarcham vinctum cum reliquis captivis in Persidam duxerat. Causa autem, cur tanta immanitate desaeviit idem Cosroe, haec fuit. Mauricio siquidem imperante, qui fuit Beati Gregorii Papae Magni Doctoris amicissimus, cuiusque filium idem Gregorius de sacro Fonte levaverat, idem Mauricius filiam suam Mariam nomine eidem Cosroi Regi dedit uxorem; unde multa inter Romanos et Persas vivente hortatu coniugis, ac Romanorum contemplatione, baptismum recepit. Tandem Mauricio imperatore a Phoca eius successore dolo occiso, et ipso Phoca a Romanis ad Imperium sublimato, in tantum dolui Cosroes, maxime quod homicidam sanguinarium, et proditorem domini sui, et soceri ipsius, tanto sublimaverant fastigio, ut ad tam cruentam vindictam in Christianos desaevierit, instigante eum quoque conjugem ad patris ulciscendam injuriam. Quosdam autem Christianos in Hierusalem repertos idem Haumarus sub annuo tributo dimisit.

CAP. II. *De reaedificatione Templi, et saevitia Barbarorum Aegypti in Christianos.*

Eodem igitur Haumaro in Syria principante Templum Domini ex superna providentia, eodem Haumaro mandante, atque impensas procurante, raedificatum est, ostenso sibi loco a Sophonia successore Modesti Patriarcha Hierosolymitano, in quo Templum ipsum fuerat Tito imperante, qui illud evertit. Deputavit insuper custodibus Templi ejusdem reditus opportunos. Nomen insuper suum, tempus, et sumtus raedificationis, aureis literis in parietibus Templi intus et foris Lingua Arabica scribi mandavit. Fluxerant autem Anni a destructione ipsius Templi usque ad haec tempora reaedificationis ferme D. Mansit quoque Hierosolymitana Civitas sub servitute barbarica, peccatis Populi exigentibus, annis continuis CCCCXC. Quo tempore inter Persas et Aegyptios domini ambitione contigit oriri dissidium, et in quibusdam de Lege eorum sensere diverse. Tunc et Aegyptii regionem eorum exeuntes, Urbes et loca cuncta usque in fines Antiochiae occuparunt, inter quas fuit Hierosolimitana Civitas. Quibus in ea dominantibus, Heccan ipsorum Caliph sive Dominus, vir crudelis et nequam, variis persecutionibus Christianos afflixit, et Ecclesiam Sancti Sepulcri solo fecit everti. Quantas autem, quamque graves pressuras et angustias in hac miserabili Barbarorum servitute perpassi fuerint, quam prolixum esset singula literis recensere! Quod sequitur, exempli gratia est insertum.

CAP. III. De illo, qui mori voluit pro coeteris Christianis.

Erat in Hierusalem Barbarus nequam, immani odio persequens Christianos. Hic nequitiam hujusmodi egit, ut perderet Christianos. Templum siquidem Domini, quod Haumarus Princeps raedificari mandaverat, tanta etiam reverentia colebatur, tantaque mundicia cum

Porticu servabatur, ut ipsi in Templo irreverentes capitali afficerentur supplicio. Barbarus igitur Christianorum insidiator nocte quadam canis putridi cadaver in Porticum Templi latenter projecit. Quod dum oculis visitantium Templum mane apparuisset, subito una vox omnium fuit, Christianos in improperium Arabum hoc tantum commisisse delictum; decretumque est, ut omnes Christiani, qui in Hierusalem erant, deberent absque respectu misericordiae trucidari. Sed subito inter Christianos affuit, qui ductus spiritu se exposuit pro omnium morte, accusans semetipsum illud facinus commisisse. Prius tamen inter majores Populi Christiani testatus est, se ab objectis innoxium, idemque non dubitare de caeteris. Sed ne tanta caede in Christianum Populum Barbari desaevirent, solus ipse morti pro salute omnium exponebat; precatusque est, ut et pro ipsius salute preces ad Dominum funderent, et pauperrimae prosapiae suae ingrati non essent. Captus itaque a Barbaris, capite punitus est, caeteri liberati. Christiani igitur de eorum salute laeti, qui inter ipsas mortis fauces fuerant constituti, devotas preces pro defuncto fuderunt ad Dominum, decreveruntque, ut in memoriam rei hujus perpetuam de stirpe hujus geniti olivam annis singulis deferrent in Hierusalem.

CAP. IV *De recuperatione Basilicae Sancti Sepulcri.*

Post haec Aegyptiorum rege Heccan defuncto, sub cujus servitute Christiani erant, successit ei filius Daher nomine. Hic Christianis concessit Sancti Sepulcri Ecclesiam raedificare, quam pater ejus Heccan solo evererat, rogatus super hac raedificatione ab Romano Heliopolitano Imperatore Constantinopolis, cujus etiam Imperatoris successor

Constantinus cognomento Monomachus, quod a Graeco in Latinum versum eloquium sonat *bellator intrepidus*, multas eleemosynas Christianis transmisit, ejusque subventione munifica reparationem ejusdem Ecclesiae Anno Christi MXLVIII compleverunt. Quo tempore in Patriarchatu Hierosolymitano praesidebat Nicephorus. Fluxerunt quoque ab eversione ipsius Ecclesiae Anni XXXI. Pro hujus autem Ecclesiae defensione, ne iterato everteretur, perpassi sunt multa gravamina Christiani. Quandocumque enim nova tributa, seu vectigalia a Praesidibus Provinciae per Caliph Aegyptiorum transmissis, Christianis imponebantur, mandabatur eis, quatenus sub interminatione eversionis Ecclesiae imposita sibi termino statuto persolverent. Ex quo timore Christiani ad hujusmodi persolvenda tributa labores et sudores varios impendebant; atque in hujusmodi oppressionum anfractibus, nunc scilicet sub Aegyptiorum, nunc sub Persarum crudeli dominio consistebant. Sed longe gravius Turchorum potentiam persenserunt. Turchi namque regna Persarum et Aegyptiorum acquirentes, Sanctam Civitatem Hierusalem adeo crudeliter tractarunt, ut Christiani Aegyptiorum et Persarum dominium reputarent libertatem. Sub ipsorum autem Turchorum servitute mansit Hierusalem civitas annis XXXVIII. Exigit vero nunc locus, omisso Historiae ordine, digressionem facere, pauca de Turchorum Regni exordio huic Historiae inserendo, a quorum manibus Terram Sanctam eripuit cum multo sanguine Populus Christianus.

CAP. V *De primis Turchorum moribus, et electione primi eorum Regis Selduch.*

Turchi, qui et Turchomanni, sedibus incertis vagantes, de Syriae partibus prodierunt; homines quidem rudes, pecudum more sibi victum quaerentes, nec umquam civitates aut oppida incolentes: passim enim agros inhabitabant; unaquaeque Tribus suo Duci obediebat. Omnia eorum supplectilia secum deferebant. In pecudibus erat omnis eorum possessio divitiarum. In acquirendis urbibus, aut oppidis nullis ipsorum erat animus. Monetam prorsus ignorabant, sed lacte et butybus pro sibi necessariis commutabant. Deficientibus pascuis sedes eorum mutabant, et dominis sedium tributa persolvebant. Contigit autem, ut dum ipsorum pars maxima Persarum terram intrasset, et pascuorum fertilitate multis inibi annis morati essent, in tantam coaluerint gentium multitudinem, ut Persarum Rex eos de Regno suo excludere decerneret, suspicatus quod res novas contra ipsum moliri attentarent. Coepit igitur insolitis tributis et novis exactionibus illos vexare, ut proinde Regnum Persarum cogerentur exire. Secus autem rei contigit exitus; nam quum diu Turchi tributorum et exactionum oppressiones tolerassent, tandem communi inter se assendu deliberaverunt, a solutione desistere. Quod dum Rex Persarum cognovisset, edixit, ut Turchi omnes egrederentur limina Regni. Quod et factum est. Transierunt enim flumen Chobar, quod Persarum fines conterminat; et dum in vastam omnes planiciem convenissent, et innumerabilem eorum populositatem conspicerent, libertatis insolitae novum spiritum induerunt, decreveruntque super se statuere novum Regem. Hunc autem in Regis electione ordinem servaverunt. Descripserunt enim in singulis cedula Tribuum nomina singularum, ut ex illa Tribu Rex fieret, cujus cedula ex simula congestis sorte primitus

appareret. Apparuit itaque cedula Tribus, quae dicta est Selducois, ex qua etiam centum circumspectiores elegerunt viros, quorum similiter singula nomina in singulis cedulis sunt descripta, ut cujus nomen primum sors dederit, ille super cunctos eligatur in Regem. Sorte igitur educta est cedula, in qua scriptum erat *Selduch* : vir quidem non solum in stirpe sua, sed inter caeteros praestantissimus. Erant enim facie decorus, corpore procerus, armis strenuus; qui licet jam esset aetate prope maturus, virum tamen repraesentabat in arduis circumspectum. Qui mox ut in Regem creatus est, cum omni Turchorum Populo reversus in terram Persarum, brevique tempore non solum Regnum Persarum, sed universam Arabiam, et ceteras Orientis partes suo dominio subjugavit, et intra annorum XL. terminum in tantam elati sunt arrogantiam, ut nativum sibi Turchomannicum cognomen abhorrentes, se se Turchos instituerint appellari. Nunc ad Historiae ordinem redeatur.

CAP. VI De bello inter Persas et Graecos.

Contigit praeterea ad afflictionum cumulum Populi Christi, quod eo tempore ex ultimis Orientis partibus egressus est Rex potentissimus Beleth nomine cum innumerabili Persarum et Syriae gente, infinitisque copiis, et imperium Constantinopolitanum tanta invasit potentia, ut obvios sibi aut ad deditionem cogeret, aut, relictis omnibus, ad fugae praesidium. Quod audiens Constantinopolitanus Imperator nomine Romanus, cognomento Diogenes, Princeps quidem Christianissimus, coadunatis Imperii viribus, se adversus Barbarum Imperii sui invasorem paravit ad proelium. Congredientibus igitur simul ambobus exercitibus,

Barbaris videlicet pro suae Legis exaltatione, et Regni augmento, Christianis vero pro Fidei suae defensione, ac eorum salute, libertateque servanda, tandem post stragem ingentem, ac caedem mirabilem utrorumque, Graeci diffisi viribus, dispersis agminibus hinc inde palantes sive vagantes, terga hostibus praebuerunt. Barbari vero potiti victoria, peracta caede multos ex Graecis captivos inde secum duxerunt; inter quos etiam Imperator retentus est. Quem Rex Beleth adeo miserabiliter in ipsa captivitate tractavit, ut quoties ascensurus esset de equo, pedem ejus capiti imponebat; similiter et quum descensurus esset ab equo, asserens hoc facere in detestationem Fidei Jesu Christi, et opprobrium Populi Christiani.

CAP. VII. *De prima transfretatione Petri Eremitae initiatore Passagii generalis.*

Inter haec piissimus Dominus noster, afflictionem et humilitatem respiciens Terrae Sanctae, cuidam pauperi et religioso de Regno Franciae in Episcopatu Ambianensi, vitam eremiticam degenti, qui et Petrus Eremita dicebatur, nepos Episcopi Damiani, inspiravit, quod Sepulcrum Dominicum et loca religiosa et reverenda visitaturus, cum multo labore et periculo Hierosolymam adiret. Erat autem vir staturae pusillus, et formae despicibilis, sed magni cordis, acuti ingenii, profundi sensus, et optimi intellectus, facundique sermonis. Quum igitur ad Portam civitatis Hierusalem venisset, dato aureo nummo pro ingressu janitoribus, qui a Peregrinis recipiebant tributum, videns Loca Sancta Hierusalem ab impiis irreverenter tractari, virum etiam venerabilem Simeonem Hierusalem Patriarcham una cum subditis suis tamquam vile mancipium

cum omni abiectione innumeris oppressionibus affligi, sicut erat vir sanctus, et valde compatiens, et super afflictos pia gestans viscera, coepit vehementer dolere, et secum anxius cogitare, si quo modo subvenire posset afflictis. Collatione tandem super his multa cum Patriarcha Simeone habita, *Multa quidem*, inquit Patriarcha ipse, *suspiria, lacrymas, et orationes ad Dominum fudimus, sed nostris adhuc delictis merentibus aditum in conspectu Domini minime meruerunt. Fertur autem apud nos, Francigenas devotissimos existere Christianos, unde creditur Domini regnum ipsum longaeva pace servare. Qui si nobis Graecorum strage omni subsidio destitutis succurrere decernerent, confidimus in datore bonorum, quod solitae libertatis adhuc solatiis frueremur ad laudem cultus divini.* His auditis vir Dei Petrus Eremita respondit: *Bone Pater; vera quidem sunt quae de Francigenarum Populo protulistis. Certissime autem credo, quod si Pater Apostolicus, et Occidentales Principes Populi Christiani statum agnoscerent miserandae servitutis, qua Populus iste opprimitur, ducti compassione spiritus, ei succurrere non tardarent. Operae pretium igitur foret, ipsi Domno Apostolico, caeterisque Principibus Occidentis, Populi Christiani hanc miserabilem servitutem, et Sacrorum Locorum irreverentiam intimare per scripta, illorumque pia subsidia suppliciter implorare. Ego vero divini contemplatione nominis, ac in animae meae remedium, si parvitatem meam in hoc tanto negotio necessariam ac utilem creditis, illam offero vestris jussionibus paritutam.* His auditis Patriarcha laetus effectus est. Tandem Petrus, divina etiam revelatione confortatus, et zelo caritatis succensus, accepta benedictione ab eodem Patriarcha, cum

litteris ejusdem et aliorum fidelium Hierosolymis commorantium, ad mare descendit.

CAP. VIII. *De regressu Petri Eremitae, et Concilio Alvernensi.*

Navigans igitur Petrus ipse Eremita, Portum Bari applicuit, et terrestri itinere devenit ad Urbem. Praesentatus itaque Urbano Papae hujus nominis Secundo, ab eo benigne receptus est. Cui dum cuncta, quae viderat et audierat Hierosolymis, retulisset, commisit ei Romanus Pontifex, ut ad Regem et Principes Franciae ea relaturus accederet, promittens se vita comite ad partes illas brevi tempore hoc promoturum negotium accessurum. Petrus itaque Apostolico laetus responso Italiam transcurrens, et Alpes transiens, tam Principes Occidentales, quam inferiorem Populum sollicitè admonendo et variis exhortationibus, (sicut erat vir prudens et potens in opere et sermone), modico tempore multorum animos ad suscipiendum peregrinationis Hierosolymitanae laborem inclinavit, Domino cooperante, et legati sui sermonibus copiosam gratiam largiente. Tantam quippe gratiam in labiis ejus diffudit Omnipotens, ut numquam ejus praedicatio fuerit sine fructu. Non multo autem tempore post, Anno scilicet Dominicae Incarnationis MXCV, Henrici vero Imperatoris IV. Anno XLIII. Regni ejus, Imperii quoque XII. Philippi hujus nominis..... Henrici filii Francorum Regis..... Urbanus Papa praedictum Petrum sequutus in Gallia, convocato generali Concilio apud Clarum-Montem Alverniae Civitatem, calamitates et oppressiones Fidelium in Terra Sancta commorantium, et tam Dominicum Sepulcrum, quam alia Loca Sancta ab immundis canibus profanari

et conculcari diligenter exposuit, omnibus, quos Spiritus Sanctus ad ultionem injurarum Crucifixi, et ad Terrae Sanctae liberationem inspiraverit, in remissionem omnium peccatorum tam sanctam peregrinationem et placitam injungens. Semen autem Domini verbum in terram bonam et fertilem cecidit; nam multi, qui in eodem sermone praesentes fuerant, signo salutiferae Crucis humeris suis affixo, se se peregrinationis voto Domino obligarunt.

CAP. IX. De nominibus Provinciarum et Principum Cruce signatorum.

Sequenti igitur Anno, qui fuit Incarnati Filii Dei MXCVI. Occidentales Populi dolentes, ut dictum est, Loca Sancta Hierosolymorum a Gentilibus profanari, Turchos etiam Christianorum terminos jam multa ex parte invasisse, innumerabiles una inspiratione moti, et multis signis sibi ostensis, alii ab aliis animati, Duces, Comites, Potentes, Nobiles, et ignobiles, divites, pauperes, liberi et servi, Episcopi, Clerici, Monachi senes et juvenes, pueri et pueallae, omnes uno animo, nullum ullo augurante, undique concurrunt ab Hispania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Northmandia, a Francia, a Lotharingia, a Burgundia, a Germania, a Lombardia, ab Apulia, et aliis Regnis, virtute Fidei et signo Sanctae Crucis supra dextrum humerum tunc primo signati et armati, ultum ire parant injurias Dei in hostes nominis Christiani. Et quanto quisque hactenus ad exercendam Mundi malitiam pronior erat, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior, firmissima pace intermi usquequaque composita. Et primo Judaeos in Urbibus, in quibus erant, aggressi, eos

ad credendum in Christo compellunt. Credere nolentes bonis eorum privant, trucidant, urbibus eliminant. Aliqui Judaeorum zelo tenendae patriae Legis ducti mutuo se trucidant; alii ad tempus se credere simulantes, post ad Judaismum revertuntur. Eminebant autem in hoc Dei exercitu de Regno Franciae et Alemanniae Hugo Magnus frater Philippi Francia e Regis, Robertus Comes Flandrensis, Robertus Dux Northmandiae filius Guillielmi Anglia e Regis, Stephanus Carnotensis, et Blesensis Comes, Pater quondam Theobaldi Comititis Senioris, Raymundus Comes Tholosanus, Godefridus de Buglono Dux Lotharingiae, qui fuit postea Rex Hierosolymitanus, Eustachius, et Baldoinus fratres eius, Baldoinus de Baroch consanguineus eorum; qui ambo Baldoini post Godefridum successive Regnum ipsum obtinuerunt; Balduinis Comes de Hannonia, Ysoardus Comes Dye, Raymbaldus Comes Auraxiae, Willelmus Comes Foresii, Stephanus Comes Albemarlæ, Rotrundus Comes Perticensis, Hugo Comes Sancti Pauli, Bojamundus Dux Apuliae, sive Princeps Tarentinus, filius quondam Roberti Guiscardi Ducis Apuliae, Tancredus nepos ejus ex sorore: Et cum ejus multitudo maxima Militum, et Nobilium, inter quos, ut dictum est, praecipui et praeeminentiores exstiterunt prenominati; excepta Populorum numerosa caterva, quae Petrum Eremitam sequebatur hujus sancti propositi initiatorum mirabilem. Horum omnium curam suscepit vir eximius Haymarus Podiensis Episcopus, qui ejus et consilio et doctrina usque ad captam Antiochiam plurimum fuit proficiuus. Numquam tot gentes in unam coiere sententiam. Opinionem hominum vincebat numerus, quamvis aestimaretur sexagies centum milliam, qui omnes Hierosolymam pergebant.

Excessit autem medicina modum, quia plusquam debuit, in quibusdam voluntas eundi Hierosolymam subrepsit. Nam multi etiam Eremitae, et Reclusi, et Monachi domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt. Quidam cum orationis gratia ad hominibus suis accepta licentia profecti sunt; plures autem fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebeja Crucem Christi sibi divinitua innatam jactitando ostendebant. Quod et idem quaedam de mulierculis praesumserunt. Alii vero ferrum calidum instar Crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiae, vel bonae voluntatis ostentatione.

CAP. X De transfretatoribus sub primis Ducibus Galtero, et Petro Eremita.

Mense igitur Maji Anno Incarnati Verbi MXCVI. Galterus sine cognomento, vir quidem egregius, milesque acerrimus, peregrinationis hujus iter omnium primus arripuit, quem maxima Populorum caterva cum paucis tamen equitibus sequuta est. Hic transiens Alemanniam, Hungariae Regnum intravit: quem Calimannus Hungarorum tunc Rex cum suis honoranter excepit. Post haec Bulgariam veniens, quorum Dux erat Nicita nomine, multa inibi incommoda perpessi sunt. Nam dum Bulgari in Foro venalium victualium se illis exhiberent difficiles, Peregrini ad eorum armenta rapienda concurrunt, unde Bulgari armis arreptis multos ex eis occiderunt. Deinde Constantinopolim accedentes, Imperator sciscitatus eorum causam adventus, comiter illos suscepit, jussitque in suis necessariis provideri. Inter haec Petrus Eremita copiosam utriusque sexus secum trahens multitudinem, Theutonicorum similiter Regna, scilicet Lotharingiam, Franconiam, Bajuariam, et Austriam transiens, per

partes Hungariae Constantinopolim pervenit. Multa enim in illa via a gente Bulgarorum passus incommoda, de exercitu suo fere decem millia amisit in proelio; currus etiam plaustra usque ad vitiis multis, variaque suppelectile ab ipsis Bulgaris detenta sunt, et violenter ablata. Ipsi enim Peregrini, qui cum Petro Eremita erant, quum audivissent, quae Bulgari Galtero viro generoso, et suis irrogaverant, quoddam Oppidum, quod Mala-Villa dicitur, obsederunt; quo per violentiam capto, quatuor millia ex Oppidanis occisa sunt. Urbem quoque Nizi obsidentes, et praehabita victoria nimis insolenter gloriantes, victi tandem succubuerunt, ibique stragem praedictam perpassi sunt. Interim etiam venerunt ad ipsum Petrum Legati ab Imperatore Constantinopolitano Alexio transmissi, dicentes, quod Peregrini per Constantinopolitanum transeuntes Imperium multas Imperii fidelibus molestias inferebant. Unde Imperator mandabat, quod ultra diem tertiam in aliqua Civitatum Imperii nequaquam itinerantes morari deberent, sed gressu concito iter suum Constantinopolim maturarent, ibique Imperiali provisione forum competens, et abundantiam rerum venalium invenirent. His auditis Petrus Eremita cum omni gente sua Legatos Constantinopolim sequutus est, ubi cum Galtero castrametatus est. Vocatus autem Petrus ad Imperatoris praesentiam, multa ab eo super coepto itinere sciscitatus est Imperator, a quo quum rei seriem didicisset, non solum ex cognitis admiratus est, verum etiam in stuporem adductus immensum, quod homunculus talia, tamque ardua erat aggressus, quod et tam facunde tamque diserte ad singula respondebat, quapropter et ipsum Petrum Dei virum in suam recepit gratiam, eique contulit Imperialia dona. Paucis post haec

commorati ibi diebus, classe parata Imperatoris edicto, mare, quod Brachium Sancti Georgii dicitur, transierunt. Inde Bithyniam pervenientes, primam Asiae partem, super mare, loco, qui dicitur Civitot, castrametati sunt. Quanta autem et qualia inibi perpassi sunt, prolixitatis evitandae gratia omittitur. Sed ultimo multo ex contemptu et imprudentia corruerunt, nam proelio durissimo cum Solimanno Nicaeae urbis domino congressis facto, eoque Solimanno victore, tanta fuit Peregrinorum strages, ut ex viginti quinque millibus peditum, et quinque millibus equitum, vix tria reperta fuerint manus hostium evasisse. Caeteri caesi aut capti, inter quos corrui eximius vir Galterus jam dictus.

CAP. XI. De strage Theutonicorum in Hungaria Duce Gondechaus.

Gondechaus autem Petri Eremitae imitator, qui et sicut Petrus ipse in Franciam, ita in Theutoniam seminaverat hoc tempore verbum Dei, sequutus est etiam ipsum Petrum cum quindecim millibus Theutonicorum. Qui et Hungariam transiens, ibi etiam benigne receptus est. Sed quum Theutonici terram fertilem comperissent, et comensationibus vacarent indebite, ac potationibus debaccharentur, in tantam elati sunt arrogantiam, ut peregrinationis iter in abusum rapinae converterent, flagellantes mulieres, et homines occidentes. Quibus Rex Hungarorum in Theutonicos aspirans, illos insequutus est, donec in umbilico sui Regni pervenerunt, apud scilicet Oppidum, quod dicitur Bellegrave, His Theutonici cognitis, de Regis gratia ulterius diffidentes, ad arma concurrunt. Rex autem effrenatam ipsorum agnoscens audaciam, et quod ex desperatione, ratione situs locorum, in quo erant constituti, timorem omnem

in virtutem converterant, suorum usus consilio, nisus est vires ingenio superare. Depositis enim armis, et bellandi arte rejecta, Legatos ad Gondecahum Hungarica fraude transmisit; qui simulata pace sibi et primoribus exercitus sunt in haec verba loquuti. Verba Legatorum Hungariae. *Grandis quidem, o praeclarissimi viri, et horrenda nimis de vobis infamia ad clementissimi Regis nostri aures intonuit, quod vos et legis nobiscum communi professione uniti, et in Christi mancipio obliti, contra morem gentium, et vestri nominis professionem, non solum hospites vobis humanissimos extorsionibus aggravatis, sed quod absurdissimum, stupris, adulteriis, et homicidiis probrose et immaniter pertractatis. Quid enim amplius potest hominibus ignominiae ac saevitiae irrogari, quam filias libidinibus submittere, conjuges maculare, et ipsorum trucidare clientulos? Vox omnium una est, his vos infectos criminibus esse, cunctisque Regnicolis discrimini et pavori. Suntne ista hospitalitatis humanae commercia, peregrinantium officia, et quod majus est, Christianae Legis observantia mandatorum? Et quamquam ex vobis vulgaris fama nullos excipiat in delictis hujusmodi, crebroque ex hoc Regias aures offendat, non tamen in ambiguo ab eo ponitur, quin multi ex vobis, moribus pollentes et meritis, talia detestentur, et prorsus abhorreant, quae ipsum nostrum Dominum ad tantam iracundiam provocarunt. Et quia novit injustum esse, ut ex aliquantorum facinoribus tot punirentur insontes, non decrevit ad ultionem hujusmodi super universos bellicam manum extendere. Operae pretium itaque fore credimus, ut Regis nostri moderatam clementiam attendentes, armis remissis ad ejus misericordiam et gratiam, nullis adjectis conditionibus, supplices et conciti veniatis. Si autem,*

quod absit, hortationes nostras, immo salutes vestras, decreveritis obaudire, vires quaesumus vestras in vobis ipsis metiamini, qui quum in ejus Regni umbilico sitis constituti, evitare manus ejus durissimum erit vobis. Facto fine dicendi Gondechaus, caeterique primores exercitus enormium execratores, suasionum verba, non Legatorum intentionem, attendentes, Populum hortati sunt, ne de Regia misericordia diffisus fieret, quam suadebant Legati. Et licet in hoc essent difficiles, tandem se se Regiae misericordiae submiserunt. Sed ipsorum fidam credulitatem Hungarorum fefellit infida crudelitas. Subito enim Hungari prosilientes ad arma, nulla facta inter noxios et justos discretione, tanta in ipsorum peregrinorum caede bacchati sunt, ut ipse occisorum cruor torrentem efficeret. Horror erat, tam immanem videre stragem, et pietas, tanta occisorum prostrata corpora intueri. Pauci a caede liberi infidelitatem Hungarorum sibi obviis nuntiarunt.

CAP. XII. De peregrinis Duce carentibus ad Hungaris profligatis.

Non multo post coadunata est multitudo maxima Populorum, qui peregrinis similis coepto itinere. Duce carentes multas terrarum incolis injurias irrogabant, in tantam prorumpentes vesaniam, ut omnes Iudaeos, quos invenire potuerunt, maxime in Colonia, et Magancia, crudeli nec mulctarent. Quumque per Franconiam, et Bavatiam transeuntes ad Hungaros pervenissent, Cives Mesebroch, ne transirent, obices habuerunt. Ipsi vero Nuntios miserunt ad Regem Hungariae, postulantes transitum sibi concedi. Sed Rex quum agnovisset populosam illorum multitudinem (erant enim fere ducenta millia peditum, et tria millia equitum) timens

in Regno insidias propter stragem, quam Regnicolae in Theutonicos exercuerant, respondit se nullatenus transitum concessurum. Quod audientes Peregrini, furore concitati iracundiae, ferro et igni quaecumque citra paludes erant submiserunt. Municipium quoque, quo transitus negabatur, invadentes, dum illico tanta expugnasset virtute, ut jam scalis erectis muros ascenderent (incertum adhuc cur quod sequitur contigerit) statim impetu mirabili de scalis, et pontibus, quas fabricaverant ad ascensum, proruentes inferius, in fugam omnes conversi sunt. Hungari vero, qui se se jam in ipsis mortis faucibus opinabantur consistere, ex insperata fuga stupefacti, et causae ignari, de municipio egressi sunt, et fugientes insequuti. Sequutum est tandem, ut qui fere semimortui pavore obsidentium fuerant, victores protriverint. Quod ex demeritis Peregrinorum Deum permisisse opinandum est. Qui vero evaserunt, tristes ad propria sunt reversi.

CAP. XIII. De processu Ducis Godefridi, et aliorum Principum cum eorum copiis per Hungariam.

Godefridus post haec de Buglione, Lotharingiae Dux, vir praeclarissimus, eodem etiam Anno, scilicet incarnati Verbi Dei MXCVI. mense Augusti, cum Balduino fratre ejus, et altero Balduino Flandriae Comite Sancti Pauli, et item Balduino de Borch, aliisque viris illustribus, pio voto peregrinandi etiam iter arripuit. Veniens itaque in Ducatu Austriae, hospitatusque in civitate, quae Tayleborc dicitur, juxta quam labitur flumen Litaus nomine, dividens ab Hungaris Alemanniae Regionem, audivit, quae Godechao et suis in Hungariae Regno contigerant, misitque Legatos ad Regem Hungariae, qui eundem

Regem in haec verba alloquuti fuere. Verba Legatorum Ducis Godefridi ad Hungariae Regem. *Serenissime Princeps, Vir inclytus Godefridus Lotharingiae Dux cum caeteris viris illustribus, suae peregrinationis comitibus nos ad tuae Majestatis praesentiam hac causa direxit. Fama siquidem multi moeroris nuntia ad eos deferente pervenit, quod Peregrinos, qui sub Ducatu Godechais eos praecesserant, professione quidem et voto confratres ipsorum et socios, dum essent in meditullio Regni tui, omnis timoris expertes, immo, quod plus est, ad tuae misericordiae clementiam supplices venientes, hostilis manus immisericorditer trucidavit. Quod si exigente justitia actum sit, qui nos miserunt, id tolerare disponunt. Si vero ex sola iniquitate processit, decreverunt totis ulcisci viribus injuriam Jesu Christi, pro cujus pretiosi Sanguinis ultione solum patrium reliquerunt. Rex autem his auditis in haec verba respondit. Responsio ejusdem Regis. Gratum siquidem nostro profitemur animo pervenisse, quod vos viros circumspectos et providos, facundo sermone loquentes audivimus. Sed longe gratius acceptamus, quod illos comperimus esse sortitos, quibus nostrae gentis innocentiam opportune possumus intimare. Notorium siquidem est, et Deus nobis in Coelo testis, quod Peregrinorum populos, qui sub Ducatu Petri Eremitae, et Godechais per Regnum nostrum transitum habuerunt, summa hospitalitate recepimus, nec passi sumus quod aliquos subirent defectus, pro illius reverentia, qui, ut nos redimeret, Sanguinem suum fudit, et pro cujus effusionis vindicta sperabamus illos peregrinandi propositum assumpsisse. Sed quod dolenter dicimus, ipsi non Peregrinorum, sed praedonum more serpentinam imitantes versutiam, dum calefacientem in gremio venenato pungit aculeo,*

pro beneficiis supplicia nostris Regnicolis irrogarunt. Hi enim, qui cum Petro Eremita transibant in Regni nostri finibus positi exeundo, dum nostram humanitatem deberent extollere, converterunt ad impia manus suas. Oppidum quidem Regni nostri, quod Mala-Villa dicitur, hostiliter ceperunt, et trucidatis oppidanis omnem suppelectilem exportarunt. Qui autem cum Godechai fuerunt, in ipso Regni nostri introitu, praedis, rapinis, stupris, adulteriis, homicidiis, oppressionibusque variis, ac incendiis, et depopulationibus multis saevissime debaccharunt, ut non Peregrini, sed saevissimi barbari apparerent. Nos autem, qui ex Regia dignitate tenemur commissum nobis Populum, Regnumque, quantum nobis ex alto permissum fuerit, a talibus defensare, tolerare nequivimus tam immanem Regni nostri destructionem et gentis. Sicque ultore gladio enormes curavimus injurias propulsare. Illis autem, qui demum subsequi volebant, ingressum negavimus, praeterita abhorrentes. Deus autem, qui verba vindicat, et hominum corda videt, scit nos non mentiri. Quaesumus igitur, ut hanc excusationem nostram justissimam deferatis ad vestros. His dictis Rex Legatos ipsos multa hospitalitate susceptos cum suis etiam Legatis remisit ad Ducem, cui in haec verba loquuti sunt. Verba Legatorum Regis Hungariae. Dominus noster Hungariae Rex felices tibi, inclyte Dux, optans successus, quum te noverit virum gente illustrem, dignitate sublimem, fide legalem, corde prudentem, viribus strenuum, et copiosa virorum illustrium comitiva vallatum, tuis afficitur beneplacitis, et incumbit honoribus. Quapropter tuam requirit generositatem, ut quem diu mentalibus contemplatus est oculis, te illi corporalibus videre concedas, datum sibi desuper judicans, hoc meruisse donum, quod

felici casu huiusmodi te, tuosque praeclaros comites et videre contingat, et obsequi, ut eorum beneplacitis se conformet. Facto fine dicendi Dux Godefridus de consilio Procerum, trecentis comitatus equitibus, apud Ciperon oppidum Regni Hungariae processit ad Regem; quem quum ingenti laetitia recepisset, et Regali honore tractasset, tandem sibi et suis aditum per limites Regnis concessit, nonnullis tamen retentis obsidibus, qui et post Regni exitum restituti reliquos sunt sequuti. Pacifice igitur Godefridus cum omnibus suis Regnum Hungariae pertransivit; cui Rex munera Regalia largitus est, et ipse obsides secum ducens, secutus usque ad Regni terminos, ubi valedicendo ab invicem discesserunt.

CAP. XIV. *De transitu ejusdem Godefridi in Graeciam, et nequitia ac strage Graecorum.*

Post haec Dux Godefridus Bulgariam intrans, apud civitatem, quae Belgrave dicitur, castrametatus est. Deinde egressi, Graeci intrarunt, et angusta loca Sancti Basilii transeuntes, pascuis fertilem, et victualibus copiosam. Inde procedentes, Philopopolim urbem formosissimam, et fertilissimam devenerunt, in qua Hugo Magnus Regis Franciae Philippi frater cum multis aliis Proceribus, quos Balivus Durachii pro libito solum compeditos ad Imperatorem miserat, tenebantur inclusi. Ea autem intentione illos Imperator retinebat, ut si contingeret reliquos Latinorum Principes cum potentia subsequi, condonaret eisdem: alioquin in captivitate persisterent. Cognita vero ipsorum detentione statim Godefridus, caeterique Principes pro ipsorum captivorum liberatione Legatos solemnes ad Alexium Constantinopolitanum, ut dictum est, Imperatorem miserunt. Qui eorum preces omnino respuit: erat enim

natione Graecus, vir quidem versutus et subdolus. Qui quum esset in statu privato, praedecessoris sui Nicephori familiarissimus, cognomento Bothoniath, a quo et Senescalcus et Imperii Primas effectus fuerat, excogitata contra ipsum Dominum suum nequitia, captivavit eundem, et Imperium invadens, jam id sex annis tenuerat. Godefridus autem, reliquique Primates exercitus, cognita ejusdem Imperatoris super captivorum liberatione repulsa, populationi et praedae partes Imperii, quas occupaverant, submiserunt. Quo compulsus Imperator, et deteriora pertimescens, rogavit per nuntios Godefridum, ut suos ab offensionibus desistere cogeret, relaxare promittens captivos. Quod et factum est; sicque restituti sunt detenti pristinae libertati. Excogitata deinde Imperatoris contra Godefridum et ejus exercitum dolosa malitia, rogavit eos per ipsius nuntios, quatenus juxta Palatium ipsius, quod Blachernia dicitur, hospiraturi venirent. Erant enim ibi plurimae mansiones in litore maris, quod dicitur Brachium Sancti Georgii; quo in loco statuerat illos includere. Cujus quidem loci laberintheas angustias describunt, qui viderunt, hoc modo: Mare namque Venetorum, quod et Hellespontus dicitur, in Septemtrionem se torquens magnis amfractibus, juxta Graecias et Illyricum septem stringitur stadiorum, quos Xerses ponte navibus facto in Graeciam commeavit. Distat autem ab Urbe Constantinopolis triginta millia passuum, habens latitudinis mille passus in parte una, in alia triginta millia. Ibi sunt Urbes antiquissimae Sexton, et Alydos, quarum una in Asia, altera vero in Europa situm habere dignoscitur. Hoc maris in brachium aliud intrat mare, quod juxta Acon Urbem transit, ac in parte latiori gurgitem facit, reliquis tamen gurgitibus mitiorem. Ibi

prope sita est Constantinopolis Civitas triangulari figura. Primus angulus positus est inter Portum, et jam dictum maris Brachium, ibique sita est Ecclesia Beati Georgii, a quo proinde Brachium illud maris cognomen accepit, et protenditur usque ad Blacherniae Palatium. Alius angulus inchoat ab ipsa Ecclesia, et finiti in Portu. Tertius a Portu usque ad Blacherniam tendit. Est igitur civitas valde clausa, foveisque, turribus, et barbicanis, maxime a parte Thraciae, munitissima. In Portu labitur aqua dulcis, hyemalibus imbribus aucta, per cujus pontem transeuntes Peregrini inclusi fuerunt, intra Mare magnum et Brachium hospitati, reliquos exspectantes. Quumque Dux ad Imperatoris preces transire differret, ajus timens versutias, Imperator iracundia et indignatione motus, exercitui ejus varias molestias et injurias irrogavit. Tandem Dux ponte munito, succensisque aedibus, in quibus exercitus fuerat hospitatus, pontem cum omnibus pertransivit, et in planiciem vastam perveniens, gravi proelio cum Graecis invitus confligit inter Ecclesiam Sanctorum Cosmae et Damiani, quae modo Palatium Bojamundi dicitur, et Palatium de Blachernia. Denique multis hinc inde caesis, quum jam advesperasceret, Graeci diffisi fugam capescunt, quos Latini usque in Constantinopolim insequuti sunt, eorum plurimos occidentes. Deinde ad campum reversi victores collectis spoliis sua ibidem castra fixerunt. Non solum autem per haec patuit Imperatoris erga Latinos versutia, sed et per literas Principis Bojamundi Apuliae Ducis, qui ipsius Imperatoris fraudulentas astutias reserabat, rogans, ut ipse Godefridus cum suis apud Andrinopolim, vel Philopopolim hibernaret, nuntians quoque ejus ad eum festinum adventum. Quibus Dux laetus effectus, gratiarum ei debitis actionibus assurrexit.

CAP. XV. Qualiter Imperator Alexius pacificatus cum Godefrido Duce ipsum in filium adoptat.

Imperator autem Alexius intra domesticos super his tristis et anxius, Ducis animum sibi reconciliare procurat. Depopulabatur enim Imperii sui terras, agnoveratque Bojamundi Principis ad eum nuntios advenisse. Quibus animo valde percussus, Legatos ad Godefridum transmisit, ipsum ad ejus invitatos praesentiam, oblaturosque Imperatoris ejusdem filium, Johannem nomine, obsidem se daturum. Quibus Dux annuens, missi sunt Conradus de Monte Acuto, et Balduinus de Borch, oblatum obsidem recepturi. Quo habito, et Balduino fratri Godefridi Ducis in custodiam tradito, Dux ipse cum caeteris Principibus Constantinopolim intraverunt. Imperator autem grandi sed simulata honoreficientia illos recepit: in singulorum enim amplexus irruens, scire voluit cunctorum nomina, et omnium habere notitiam, benignoque affamine singulos, ut ad haec erat industris, alloquutus est. Aulici quoque etiam multa familiaritate tractarunt. Demum in solio residens Imperator haec verba fecit ad Ducem. Verba Imperatoris Alexii ad Ducem Godefridum. *Audivimus in hac Urbe, amantissime Godefride, crebra nostrorum relatione fidelium, quod vir existis prosapia generosus, potentia sublimis, miles acerrimus, fide praeclarus, qui et pro Christi Fide sublimanda contra ipsius hostes certare vovisti. Haec ad te nos afficiunt merito: haec nostri cordis pro te intima propulsant, ut dotes tuarum virtutum illustremus sublimioris fastigii dignitate. Decernimus itaque communi Principum nostrorum assensu, te, quo nichil majus conferre possumus, in nostrum filium*

adoptare, nostrum in tua manu Imperium committentes, ut illud tamquam filius noster benemeritus in statu prospero dirigas, et sub amoris integritate gubernes. His dictis statim iussit, Godefridum Imperialibus vestibus indutum juxta eum in solio residere, cum ingenti cunctorum laetitia et applausu. Ac per hoc fuerunt pacis inter Graecos et Latinos stabilimenta firmata. Post haec Imperator Imperialibus thesauris expositis, Duci Godefrido in filium adoptato, ejusque comitibus massas auri, et argenti, lapides pretiosos, pannos sericos, vasa varia specie mirifica, et opere sumtuosa, praesentari mandavit. Nec etiam ob hoc a munerum largitione cessavit, sed singulis hebdomadibus a die festo Epiphaniae usque ad Ascensionem Domini hypperos aureos, quantos duo viri una vice deferre poterant, et insuper nummorum ex cupro modia decem. Haec omnia vero Dux inter suos secundum singulorum merita divisit. Demum restituto Imperatori filio Johanne, quem obsidem dederat, pacificatis omnibus, Mario mense Anni sequentis, qui fuit Annus Domini MXCVII. classe ab Imperatore parata, et ipso Imperatore volente, Dux Godefridus cum omni suo exercitu, Brachium Sancti Georgii pertransivit. Nolebat enim Imperator, ut omnis exercitus Peregrinorum simul hospitaretur in Urbe Constantinopolitana volens in hoc sibi adversis casibus praecavere. Intrans autem Dux Godefridus Bithyniam, primam Asiae partem, apud Calcedoniam Urbem castrametatus est. In hac civitate, ut in Chronicis scribitur, tempore Marciani Ramanorum Imperatoris, et Leonis Papae, celebratum est Concilium CCCXXXVI. Praelatorum, in quo fuit Euthyciana haeresis condemnata.

CAP XVI. De transitu Bojamundi per Bulgariam, et Legatis Imperatoris Alexii ad eum missis.

Bojamundus inter haec Roberti Guiscardi Tarentini Principis filius, qui transacta hyeme Adriaticum mare transiens, et apud Durachium veniens, Bulgariae deserta transivit cum nobili et valida militum comitiva, post haec in Urbe, quae vulgo Castorre dicitur, Nativitatis Dominicae celebratis sollemniis, Pelagoniam Urbem fertilissimam adiit, ibique stativa disposuit. Oppidum quoque, quod ab Urbe non longe distabat, in quo se infideles quidam recluserant, cepit, praeda inibi opima potitus, qui in eo erant, gladio trucidatis, oppidoque succenso. Imperator autem Alexius, cognito Bojamundi adventu, quem exosum et suspectum habebat, expavit. Dudum siquidem inter ipsum Imperatorem, et dicti Bojamundi patrem, convaluerant simultates, in quibus ut plurimum deterioris conditionis exstiterat Imperator. Verumtamen ut erat in omni re dissimulator astutus, sub pectore antiquum livoris vulnus contegens, ficta laetitia, solemnes ad Bojamundum Legatos direxit. Qui dum ad eum venissent, talia perorarunt. Verba Legatorum. *Novit certissime Constantinopolitanus Serenissimus Imperator Alexius, quod tu virorum optime, Princeps existis egregius, viri excelsi filius multa generis claritate conspicui. His te igitur illustrem virtutibus reputans, gloriosius tamen tui nominis famam extollit, quod intrepidus Christi miles ejus negotium sic viriliter assumpsisti, quod omnium in Christo credentium noscatur esse commune. Constans itaque gerit Imperator noster in corde propositum, tuam prorsus sublimare personam, et experimento probabili tibi ostendere gratiae suae dulcedinem, quam ad te sola sua benignitate concepit.*

Duo a te requirit. Unum est, quod ad ejus festines praesentiam, recepturus ab ipso tuae visionis avido magnifica profectuum incrementa. Aliud est, ut gentem tuam cohibeas, ne super terras Imperii manus exerçant violentas. Ipse quidem sic cuncta disposuit, ut tuo advenienti exercitui opportuna non desint. Haec Legati Bojamundo retulerunt, praesentantes etiam Imperiales Epistolas, effectus eximii indicativas. Sed anguis latebat in herba. Quod Bojamundus advertens, ut erat Princeps in arduis multa circumspectione pollens, qui et Imperatoris etiam infidelitatem saepius expertus fuerat, simulata usus laetitia Legatos honorificentia magna tractavit, et pro sibi oblatis ad gratiarum actiones debitas assurrexit, misitque nuntios et epistolas ad Imperatorem, artem arte deludens. Legati vero, qui ad eum venerant, concomitabantur eundem. Contigit autem, ut dum pars exercitus Bojamundi Brachium Sancti Georgii jam transisset, quidam e latibulis prosilientes, aggressi sunt eos, qui nondum transierant. Erant autem, qui prosilierant, numero longe plures. Tunc tumultus ortus est ingens. Tancredus autem Bojamundi nepos, qui jam in medio fere vadi erat, vir quidem acer, ad talia audax et strenuus, haec audiens, statim accitis secum duobus millibus militum, concito gradu ad suos reversus est, et facto impetu super aggressores, eos convertit in fugam. Ex quibus multi occisi fuere, multique captivi, qui et ad Bojamundi praesentiam adducti sunt: a quo requisiti, cur hanc prodicionem in eum et gentem suam commiserant, a quibus, quum essent Imperatoris subditi, nil suspicabatur adversi: Vere, inquit, Imperatoris homines sumus, et ejus stipendiis militantes, nos oportet ejus jussionibus obedire. Bojamundus hoc audiens, dolos patenter advertit; iram tamen dissimulans, hilarem se

ostendit, quod multis Principibus erat molestum, tanto excessu non indigne turbatis.

CAP. XVII. *De adventu Bojamundi ad Imperatorem Alexium, et qualiter fecit ei homagium.*

Post haec Bojamundus Macedoniam transiens, Constantinopolim cum universo exercitu suo pervenit. Cui Imperator nuntios misit, attentissime rogans, tu ad eum veniret in comitiva paucorum. Bojamundus autem perplexus quid eligeret ignorabat. Hinc equidem considerabat Imperatoris potentiam, in cujus se advertebat arbitrio constitutum, unde eum offendere timor incutiebatur. Illinc falsitates et deceptiones ejusdem considerans, quas certissimo experimento compererat, illius praesentiam horrescebat. Quumque in hac constitutus ambage, nodum ignoraret dissolvere, Godefridus Lotharingie Dux, qui, ut dictum est, apud Calcedoniam praecedens castrametatus erat, advenit. Hanc enim Urbem a Constantinopoli Brachium Sancti Georgii intersecat. Rogaverat enim Imperator ipsum Ducem Godefridum, ut veniens Bojamundo suggereret, quod praesentiam ejus adiret. Suspicebatur enim Imperator, ne Bojamundus ad eum venire timeret, nec immerito quidem. Missus igitur ab Imperatore Dux Godefridus ad Bojamundum, post mutuae visionis et colloquii gratulationem jucundam, ad Imperatorem ambo pariter accesserunt. Quos Imperator in osculo pacis recipiens, magno eos honore tractavit, tantisque apud eos precibus atque promissionibus institit, quod Bojamundus Godefridi consilio Imperatori fecit homagium, et fidelitatis exhibuit juramentum, quem Imperator muneribus eximiis honoravit. Tancredus vero Bojamundi nepos Imperatorem videre non curans, cum

suis Brachium Sancti Georgii trajiciens, in Bithynia prope Calcedoniam cum aliis Principibus, qui jam transierant, posuit castra sua. Ex quo Imperator se turbatum ostendit, simulans illius praesentiam affectare.

CAP. XVIII. *De adventu Flandriae Comititis ad eundem Imperatorem.*

Robertus inter haec Flandriae Comes, qui ante hyemem appulerat Barensen urbem Apuliae, in qua Corpus Beati Nicolai quiescit, indeque mare transiens, et Durachium veniens, amoeno et frugifero loco hibernaverat, dum sequi alios festinaret, in ipso itinere nuntios Imperatoris recepit, requirentes eum, ut cum paucis veniret ad ipsum. Praescius autem eorum, quae Godefridus et Bojamundus cum ipso Imperatore egerant, venit ad eum, a quo multo honore receptus, tandem cum caeteris Comitibus eidem Imperatori homagium fecit, et fidelitatem iuravit, donis receptis immensis. Post haec processit ad alios apud Calcedoniam consistentes, qui moram eorum, qui sequebantur, moleste ferebant.

CAP. XIX. *De adventu Tholosani Comititis ad urbem Constantinopolitanam, ubi erat Imperator.*

Non multis post haec diebus nuntii Tholosani Comititis, et Podiensis Episcopi, Constantinopolim advenerunt, referentes, ipsos Comitem et Episcopum cum multa illustrium comitiva virorum cito venturos. Hi enim Lombardiam intrantes juxta Aquilegiam transierunt. Deinde in terram Istriae venientes, Dalmatiam, quae est inter Hungariam, et Adriaticum mare provinciam maximam intraverunt. In hac sunt Archiepiscopatus Jadrensis, Ragusiensis, Spaletanus, et Antibarensis. Populi has terras inhabitant natura feroces, sanguinis

et praedae avidi. Ibi sunt montes excelsi, paludes copiosae, et aquae profundo cursu rapidissimae, quae fertiles reddunt agros: pecudibus abundant. Nonnulli eorum idioma Romanum, alii loquuntur Sclavonicum. Ad hos quum Tholosanus Comes advenisset, duritia hyemis multa incommoda perpessus est ejus exercitus. Incolae quoque Latinorum timore cum eorum supplectili in montana conscenderant. Quammultos ex imbellibus, qui sequebantur exercitum, occiderunt; unde Comes postmodum hujusmodi homines praecedere jussit exercitum. Ipsi etiam Sclavi et Dalmatae Latinos locorum ignaros crebrius offenderunt, praedando et occidendo quamplures. Nonnulli autem capti sunt, quorum manus et pedes mutilari faciens Comes, male vivos dimisit. Quum autem Comes ipse cum exercitu Durachium pervenisset, Imperator Alexius ejus adventum suspectum habuit. Erat enim Comes Princeps prudentissimus, corde magnanimus, et Nobilium comitiva stipatus. Quapropter misit ad eum Imperator nuntios et epistolas, ut veniret ad civitatem Constantinopolis cum paucis, visurus eumdem. Mandavit etiam per terras Imperii sui, ut exercitui Comitis rerum venalium forum accommodum exhiberent. His Comes laetus effectus, quum penuria angeretur, per nemora et montana transiens, Pelagoniam bonis cunctis refertam applicuit, in qua castra locavit. Ea nocte Podiensis Episcopus, qui tentoria sua paululum longe a castris exercitus posuerat, a nonnullis Pelagoniae incolis captus est; sed Deo volente, qui illum Populo suo necessarium praeservabat, dum captores iter contenderent, audito rumore, qui in castris erant, subito accurrentes eripuerunt eum de manibus praedatorum. Sequenti die discedentes

inde, Salonichum, et Macedoniam peragrarunt: deinde immensis laboribus et multis dietis ad Urbem, quae Redost dicitur in litore Brachii Sancti Georgii, quae Urbs distat a Constantinopoli dietis quatuor, ibi etiam Imperatoris nuntii Comiti occurrerunt, iterum eum rogantes, ut cum paucis iret ad eum. Affuerunt etiam et alii nuntii Principum exercituum Latinorum, suadentes, ut Imperatoris votis obtemperaret. His victus Comes, cum paucis comitibus Constantinopolim accessit, ab Imperatore magno honore receptus.

CAP. XX. *De proditione Imperatoris Alexii erga Comitem Tholosanum.*

Dum autem idem Tholosanus Comes Constantinopoli moraretur, et Imperator per se et alios multis suasionibus Comitem ipsum inducere niteretur, ut ei, sicut et caeteri, praestaret homagium, et hoc facere Comes negaret expresse, indignatus Imperator iussit armatos equites in abditis ordinari, qui ex insperato super exercitum Comitis impetum facientes, cuncos gladiis trucidarent. Sperabat enim Imperator eos, qui ultra Brachium Sancti Georgii castrametati erant, Comitis exercitui non posse succurrere, nec etiam arma levatuos contra gentem suam, quum homines ligii ejus essent. Inhibuerat quoque navium omnium regressum, quibus fuerant evecti Latini. Haec et alia simultates et dolos Graecorum Imperatoris indicabant, quos hilaritate vultus et donorum collatione munifica contegebat. Nec attendebant in his Francigenae, quod etiam antiquis temporibus Romanis et Graecis Francorum fuit suspecta potentia, unde et illud Graecum exstat proverbium: *Francon philon echis, chitona uc echis*, ut scribit Eginardus in Vita Caroli Magni. Juxta igitur Imperatoris

dolosum et dolorosum mandatum, Graeci nocte aggressi sunt exercitum Comitis Tholosani, in quem immaniter desaevientes plurimos occiderunt. Clamore itaque et ingenti tumultu inde suborto, agnoverunt exercitus Princeps proditorem fore intentatam a Graecis; sicque armis arreptis fugientes suos a fuga revocant, et Graecos proditores caedunt, ac in fugam probrosam convertunt. Mane facto stupefacti animo, et corde timidi Latini, Graecorum proditione, et nocturno proelio lassati, adeo a peregrinationis coeptae proposito refrigescere coeperunt, ut nonnulli Nobiles et plebeji regredi vellent ad propria. Sed viri venerabiles Podiensis, et Auraxiensis Episcopi, alique plures Religiosi et Literati viri, gratia cooperante divina, suis monitis et hortationibus a conceptis eos, difficulter tamen, revocarunt. Comes vero Tholosanus, et qui cum eo in Constantinopoli erant, his etiam cognitis, amaricatis cordibus condolentes, significaverunt Imperatori se se fuisse proditos sub hospitalitatis specie, suosque a Graecis occisos. Id etiam caeteris Principibus, qui ultra Brachium Sancti Georgii transierant, nuntiarunt, requirentes et invitantes eos tamquam fratres et socios, quorum suasu ad Imperatorem venerant, quod ad ulciscendum hujus proditionis injuriam eis deberent assistere. Erat enim Comes corde magnanimus injuriarum tenacis memoriae, proprii quoque capitis in agendis. Imperatorem autem nefandi excessus poenituit, et accitis ad se Principibus Bojamundo, et Flandriae Comite, rogavit eos, ut Comitis Tholosani et complicitum ejus animos pacificare curarent. Ipsi vero, communis et pii propositi zelatores, qui ex hujus controversiis retardari posse videbant, sua industria inter Imperatorem seu Graecos et Latinos pacem firmarunt. Comes quoque illorum instinctu

homagium Imperatori fecit fidelitate jurata. Imperator his ita compositis, sic profuse manus laxavit ad munera, ut obstupescerent intuentes. Comes, sicut et caeteri Principes, discendentibus Bojamundo, et Comite Flandriae ab eo, Imperatorem affectione multa rogavit, ut et ipse Christi negotium assumens, se peregrinantium omnium ductorem ac gubernatorem efficeret. Precibus autem ipsis, a quarum effectu erat Imperatoris animus alienus, verba dedit, praetendens se pro Imperii tutione tunc esse occupatum in multis. Comes itaque Imperatori vale dicto, Bojamundum et Flandriae Comitem, qui praecesserant, in Bithyniam est sequutus.

CAP. XXI. De adventu Ducum in Bithynia.

Inter haec Godefridus Dux Lotharingiae, Bojamundus Tarentini Principis filius, Robertus Comes Flandriae, Episcopus Podiensis, caeterique Nobiles cum exercitibus suis, qui Brachium Sancti Georgii transierant, apud Calcedonem urbem Bithyniae castrametati, iter versus Nicaeam Bithyniae cum omnibus eorum copiis direxerunt, ut ibi venturos reliquos expectarent. Constistentibus autem apud civitatem Nicomediae Bithyniae antiquiorem, supervenit Petrus Eremita cum pauca tamen gente. Qui dum suos et suorum casus Principibus retulisset, compatiens illis, multa impenderunt suffragia caritatis. Afficiebantur siquidem ad ipsum Petrum propensius, quia sancti propositi initiator exstiterat. Non multo post sequutus est Tholosanus Comes, qui apud Constantinopolim cum Imperatore remanserat. Venit et Dux Northmannorum Robertus cum multis Proceribus et gente copiosa. Hi hyeme praecedenti in Apulia et in Calabria hibernaverant, unoque tempore navigantes, Durachium

venerant. Inde Macedoniam, et ambas Thracias magnis sudoribus transeuntes, applicuerant Constantinopolim, et ab Imperatore, sicut et caeteri recepti, factoque homagio, magnisque honorati muneribus, Brachium Sancti Georgii transierant. Quorum adventum multo desiderio exspectatum cum magno reliqui gaudio exceperunt.

CAP. XXII. *De obsidione Nicaeae urbis, et proelio cum Solimanno.*

Congregatus est igitur apud Nicaeam Bithyniae, cujus dominium Solimannus obtinebat, omnis exercitus Latinorum, cunctarum scilicet nationum Occidentis, inventique sunt, prout dinumerari et computari potuerunt, in universo sexcenta millia peditum, et centum millia armatorum, qui ad tam sanctum propositum omnes erant unanimes et conformes. Castrametati autem sunt circa civitatem ipsam Anno Incarnationis Dominicae MXCVIII. Quintodecimo Maji, quo die civitatem ipsam obsidere coeperunt. Consideratione autem situs inexpugnabilis urbis stupefacti sunt Christiani. Est enim excelsis montibus ad instar moeniorum undique vallata, et in medio planities frugum feracissima: nemora ibi densa consistunt. Ab occiduo lacum habet amplissimum, vehendis mercibus frugibusque Urbi accommodum. Fovea lata, profunda, aquis plena. A parte alia cingitur turribus, moeniisque excelsis vallatur in girum. Habitatores ejus strenui et armis assueti erant. Solimannus autem qui hujus civitatis principatum tenebat, vir consilio prudens, armisque strenuus, nepos Belfet Persarum Soldani potentissimi atque ditissimi, qui universam terram, quae dicitur Brachium Sancti Georgii, usque in Syriam

longitudinis dierum XXX. occupaverat, cujusque partem majorem ipsi nepoti suo concesserat, audito Latinorum adventu, suas eduxit copias, et in montibus longe ab exercitu Christianorum ad decem millia passuum castra fixit. Dubitans autem de civitatis amissione, quam undecumque Latini obsidione arctaverant, lacus parte dumtaxat excepta, (carebant enim navigio) nuntios misit obsessis, significans se velle sequenti die cum Latinis conflare, et quod tunc portis erumperent, victoriae suae participes effecturus. Sed nuntii a Latinis intercepti sunt, ex quorum relatibus Solimanni tractatus agnoverunt. Orta luce Solimannus dispositis aciebus Latinorum exercitum aggressus est, gravissimeque cum eis confligens per integram horam, tandem in fugam conversi sunt Turchi, montium petentes cacumina. Caesi ex eis fuere quatuor millia; nonnulli capti. Latini de victoria laeti, occisorum capita, et ipsos captivos in urbem machinis projecerunt. Mille tamen capita ex eis Romano Diogeni Imperatori Constantinopolim ad victoriae gaudium transmiserunt, qui quidem Imperator exercitui Latinorum classem magnam direxit, cum qua a lacus parte civitas obsideretur. Hanc classem curribus per septem millia passuum perduxerunt ad lacum sumtibus Imperatoris.

CAP. XXIII. *Deditio urbis Nicaeae.*

Perseverante itaque obsidione quum diris et variis diurnisque proeliis, hic inde caedes, strages, et captivitates subsequutae forent, muros quoque et turres Urbis machinis et tormentis plurimum impetiissent, et Solimanni conjugem, quae cum duobus filiis Latinorum aggressibus consternata per lacum a Civitate secedebat, cepissent: tandem obsessi, fracti longa

obsidionis molestia, turbati quoque plurimum de captione conjugis, et filiorum Domini sui Solimanni, Nuntios Principibus Latinorum miserunt, offerrentes sibi, reservatis eorum personis ad vitam, Civitatem contradere. Quod Latini audientes, laeti significaverunt Imperatori Constantipolis Alexio, oblatam sibi Civitatis deditionem, ad quam recipiendam mitteret suarum gentium copiam. Decreverant enim Civitatem ipsam ejus submittere imperio, et in hoc ipsum Imperatorem cunctis praeferre Principibus. Quod et factum est. Tradita siquidem fuit genti suae Civitas cum omni supplectili et captivis, et Constantinopolim cuncta perducta. Ex quo inter Latinorum plebejos diu murmur invaluit silentibus majoribus ab Imperatore magnis honorati muneribus. Capta est igitur deditaque Nicaea urbs MXCVIII. vigesima Junii. Reginam vero Solimanni conjugem cum filiis, quos Latini obsidionis tempore, ceperant, Imperator post modicum restituit Solimanno.

CAP. XXIV. De secundo proelio cum Solimanno, et afflictione Latinorum propter aestum et pulverem.

Post haec Solimannus ipse turbatus valde super deditione Nicaeae civitatis, quum Latini inde discedentes jam dierum duorum iter peragrassent, se ad proelium disposuit contra eos. Habebat autem Solimannus ingentem equitum copiam, qui aestimabantur ducenta millia armatorum. Latini vero quinquaginta millia computabantur in equis armati. Confligentibus itaque atroci proelio, caesa sunt ex Latini peditum et equitum duo millia, ex Turchis tria millia. In eo quoque proelio Tancredus, et Bojamundus, spectatae virtutis Principes, strenue dimicarunt. Tandem Latini ejus fulti praesidio, cujus sanguinem vindicabant, Turchos

quoque pugnacissimos coëgerunt in fugam. Conversi quoque ad praedam thesauri, et camelorum, asinorum, et aliorum animalium, praedam opulentissimam rapuerunt. Proeliati vero sunt ab hora prima usque ad horam nonam. Discedentes inde Latini Bithyniam transierunt. Est autem Bithynia Minoris Asiae pars, quam Romaniam dicunt. Hanc Turchi jam XL. annis possederant. Hujus Bithyniae, ut dictum est, tunc Dominus erat Solimannus Soldanus. Abiectis autem arcubus tribus diebus fugerunt Turchi. Soldanus autem apud Persas est, qui apud Romanos hodie Augustus, totius Orientis omnium Saracenorum Rector. Horum autem Turchorum et Persarum Imperium, id ut existimari potest, tamdiu durat, quod gens illa parum bellicosa, et vivacis sanguinis inops, *semel acceptum dediscere nescit servitium, ignorans*, ut ait Lucanus, *ideo datos, ne quisquam serviat, enses*. Post haec terram Persidis intraverunt Latini; gravissima tamen perpassi sunt in ipso itinere aestu Solis, et pulveris incommoda, ita ut ex eis quingenti et amplius utriusque sexus miserabunde corruerint. Viri enim praecordiis angustia oris hiantibus spiritus exhalabant; praegnantibus immaturo partu enixae deficiebant. Animalia velut morbida in ipsis itineribus deperibant. Horrendum erat illud intuentibus spectaculum pariter et miserabundum. Sed non multo post in terram fertilem et amoenam non longe a minore Antiochia, quae Metropolis est Persidis, castrametati sunt, ibique curandis corporibus vacaverunt. Tunc Balduini conjux ex Anglorum illustri stirpe genita, mulier admodum praeclarissima moribus, Gutture nomine, rebus excessit humanis.

CAP. XXV. *De civitatibus, quas Princeps Tancredus obtinuit.*

Tancredus inter haec Roberti Guiscardi Ducis Apuliae nepos, vir magnanimus, consistentibus ibi Latinis, cum comitiva praestabilium equitum Ciliciam intrans, Tharsum applicuit. Habet autem ab Oriente Syriam et Isauriam, a Meridionali parte mare. In ea duae Metropolitanae Urbes, Carsidonia, in qua ortus est Paulus Apostolus, alia Anavarze. Tharsum fundavit unus ex filiis Japhet filii Japhet filii Noë, et ductus est fundator ipse Tharsis, licet scribat Solinus de Mirabilibus Mundi, quod Perseus ipsum Tharsum aedificavit. Forte tamen unus aedificavit, alius reparavit. Tancredus hanc Urbem obsedit, et tandem hoc eam pacto obtinuit. Promissum est enim a Tancredo, urbem servare immunem, nilque innovare usque ad adventum exercitus Latinorum. In hac Civitate tunc dominabantur Turchi, quam Erminii et Graeci etiam incolebant. Aliam quoque civitatem Tancredus idem armis obtinuit nomine Mamistre, moenibus et situ fortissimam, frugum feracissimam, et aëre salubrem, quam Turchi etiam occuparant. Ibi pingui praeda potitus est, quam inter socios divisit.

CAP. XXVI. *Qualiter Balduinus Ragensem Urbem obtinuit, et ibi factus est Rex.*

Balduinus interea suasu cujusdam Erminii, qui Pancratius dicebatur, assumtis secum MCC. equitibus, multoque Populo, in plagam septemtrionalem profectus, urbes et oppida reperit referta divitiis, frugibusque fertilia. Ibi Christiani degebant sub Turchorum positi servitute; qui audito Balduini adventu, statim se sibi suaque omnia dediderunt; oderant enim Turchos. Fuit autem in brevi Turchis tantae formidini Balduinus, ut eis fugientibus ipse universam terram usque ad flumen Euphratis breviter possideret. Hinc autem fama

factorum Ragenses delectati, ut Turchorum ejus virtute servitutis intolerandae jugum objicerent, Legatos ad eum miserunt, rogantes suppliciter, ut copias suas ad eorum Urbem festinanter deduceret. Haec est civitas dicta Rages, ad quam Tobias filium suum exacturum argentum direxit a Gabelo consanguineo, in quo sibi chirographo tenebatur, a quo puer et argentum habuit, et filiam suscepit uxorem. Haec etiam Civitas Medorum fuisse legitur. Praedicatione Thaddaei Apostoli fratris Simonis fuit ad Christi fidem conversa, ut testatur in Chronicis Eusebius Caesariensis, qui et usque ad illa tempora in ea fide permanserant; et eam solam Christiani possidebant, expulsis ab ea infidelibus universis. Turchi tamen Civitatem ipsam eorum potentia gravissimis tributis et angariis affligeabant, depopulantes eam, quum a solutionibus hujusmodi desistebant Ragenses. Erat autem in Civitate ipsa Princeps quidam natione Graecus, aetate longaevus, liberis carens, quem Constantinopolitanus Imperator tempore, quo Civitas ipsa feudalisis ejus erat, ibi Ducem transmiserat. Sed quum Turchi regionem ipsam, ut dictum est, occupassent, remanere coactus dominium tenuerat Civitatis. Vir quidem iners, et Domini tantum umbram gerens. Veniens autem Balduinus ad Urbem, susceptus est cum ingenti laetitia, occurrentibus sibi processione solemni Clericis et Laicis Civitatis. Dux vero ex hac honorificentia turbatus invidiae spiritu poenituit pactionum, quae actae fuerant eo conscio cum Balduino praedicto, cogitabatque causas confingere, ut eas infringeret. Erant autem hujusmodi. Balduinus enim dimidiam omnium reddituum et proventuum Urbis percepturus erat Duce vivente; sublato vero Duce de medio, erat omnia cum pleno Urbis dominio possessurus. Allegabat igitur Dux,

has conventiones Reipublicae fore damnosas, et in ipsius detrimentum honoris. Quumque novas pactiones decerneret, easque graviter ferens Balduinus vellet Civitate abire, tandem Cives armis furibunde assumtis, expugnato in arce Duce, sagitta interemtus est. In cujus cadaver cives ipsi vacantes ludibriis, truncato capite per Urbem traxerunt. Sequenti die Balduinum, quamquam renitentem, in Regem elegerunt, et praestito sibi fidelitatis juramento, thesauros et munitiones cunctas Urbis et Ducis tradiderunt eidem. Balduch quoque Samosatae urbis antiquissimae Princeps, his cognitis, Nuntios ad eum misit, dicens, quod licet Urbs ejus munitissima foret, tamen ejus eximia delectatus probitate, offerebat eam sibi, dum tamen sibi persolveret decem mille Bysantios; quod et factum est. Sicque Balduinus ipsarum Civitatum Rex effectus tanta liberalitate enituit, ut a cunctis amaretur, non ut dominus, sed ut pater.

CAP. XXVII. *De obsidione Urbis Antiochiae a Latinorum exercitu.*

Godefridus interea Lotharingiae Dux cum reliquo Christianorum exercitu diversa et ardua peragratus itinera, civitatem Marasae nomine pervenit. Hanc Christiani Latini incolebant et Graeci: dominium vero obtinebant Turchi, qui audito Christianorum adventu, clam nocte de Civitate ipsa fugientes, Christianis incolis reliquerunt; a quo exercitus mercatum accomodum habuerunt. Post haec versus Antiochiam processit exercitus, Robertus Northmandiae Dux cum nonnullis nobilibus ipsum praecedebat exercitum, exploraturus itinera. Venit autem ad pontem supra flumen Tarfax, quod Lingua Gallica dicitur *Lofer*, antiquitus

vero dictus est *Orous* . De hoc flumine etiam Hieronymus loquitur. In capitibus pontis hujus de versus Latinos erant excelsae fortissimaeque turre, armatis munitae. A parte vero Civitatis septingenti consistebant armati equites. Distabat ab Urbe duodecim millia passuum. Fluvius quoque juxta Civitatem labitur, et Caesaream urbem praeterfluit. Oritur juxta Civitatem ipsam dictam Heliopolim, nunc Maubech, et mare influit fluentis rapacibus, et ipso impetu frigidioribus, salubris aerae temperie Civitati medetur, commeatum navium oppidanis invehens, perseverantiam obsidentium quantolibet tempore deridens. Hoc ponte viriliter oppugnato, victisque et occisis custodibus Turchis, Latinorum exercitus transivit illaesus, et prope Antiochenam Urbem castra confixit. Exigit autem nunc locus, antequam ad alia progrediatur Historiae series, nonnulla rememorare de praecellentia hujus Urbis, et ejusdem situ mirabili.

CAP. XXVIII. *De excellentia Urbis Antiochiae.*

Antiochia Urbium nobilissima post Romam, Constantinopolim, et Alexandriam, quarto in loco cunctis per orbem Civitatibus praelata est, ejusque Patriarcha quarum obtinet locum a Sede Romana. Haec antiquitus dicta est Rablatha, quam octagintaquinque Reges eam constituendo sublimaverunt et nobilitaverunt. Quorum maximus et primus Antiochus, a quo dicta est Antiochia. In hac Nabuchus Babyloniae Rex Sedeciam Hierusalem Regem captivum adduxit, et in ejus conspectu filios occidens, eum privavit luminibus. Mortuo vero Alexandro Magno, Antiochus, ut dictum est, ex Principibus ejus Urbem ipsam sortitus est partem, eamque muniens, Regnique caput instituens,

nomine suo denominavit. Petrus Apostolus in ea Urbe primus fuit, et primus Episcopus annis VII. constituens Ecclesiam domum Theophili viri praecipui. Lucas Evangelista in ea Urbe Actus Apostolorum conscripsit, qui fuit in ea Episcopus ordine VII. Ibi post Domini passionem primum in Christo credentium Concilium celebratum est. Ibi primum fideles vocati sunt Christiani, prius dicti Nazaraei, dicti a Nazareth Civitate, quam primum sua praedicatione Apostolorum Claviger convertit ad fidem: unde dicta fuit *Theopolis*, idest *Dei Civitas*. Urbes viginti nominatissimae, atque magnae Antiochiae subsunt, quarum quatuordecim Metropolitanae Archiepiscopatibus decorantur: reliquae sex duos habent Primates, quos Catholicos nominant, quorum unus est in civitate Gallice dicta Aniene, alius in Civitate dicta Baudas, et hoc totum Oriens appellatur.

CAP. XXIX. *De situ ejus.*

Sita est autem Antiochia in Syria, ejusque provinciae Metropolis inclyta. Locus ejus amoenus atque salubris. Est ibi vallis amplissima, feracissimos habens agros, fontibus atque rivulis jucundissima. Cingitur autem ab Oriente montanis protendentibus millia passuum XL. In latitudine habet vallis ipsa sex millia passuum, vel paulo minus. Est et lacus ex influentia fontium ortus piscibus copiosis. Ex ipso lacu defluit rivus, qui juxta labitur et influit in Orontem. Est praeterea et mos praeexcelsus in parte ima Urbem concludens, in quo Civitates agris fertiles et aquis abundantes. Dictus est autem mons ille Orons, sicut et fluvius, ut testatur Hieronymus; cujus montis pars usque ad mare protendit, estque ibi excelsus nimis; ideoque et inde suum sortitur nomen, quod est Gallice *plier*. Quidam autumantur, quod sit

mons Parnassus, de quo legitur in scripturis; eo quod foris in pede ejus oritur, quod Gallice dicitur *l'esciele Bojamunt*. Sed a vero discrepant. Est enim Parnassus in Thessalia regione. Est et alius mons a Septentrione Niger vocatus, abundans nemoribus, pascuis, rivis, et fontibus, qui antiquitus fuit Sanctorum Patrum mansio eremum inhabitantium. Per vallem jam dictam Orontis flumen in mare decurrit. Est praeterea Urbs ipsa moenibus tuta valde; nam a monte Meridiano usque in flumen Orontem moenia ipsa protenduntur. Sunt autem muri geminati ab invicem late distantes, quorum eminentior quadris lapidibus compactus, turres CCCL. inexpugnabiles, et venustas continet. Inter muros est vallis profunda, et angusta valde, in qua rivus fluentis rapacibus Civitatem influens, fertiles etiam agros reddit. Intra Civitatem sunt quatuor montanae satis altae, in quarum sublimiori est castellum praeeminens Urbi, quae et deorsum residet. Fontes in ea plurimi: sed omnium praestantior fons, qui dicitur Sancti Pauli a Porta Orientali. Ab occiduo labitur Orons juxta Civitatem, supra quem pons situs est lapideus, supra jam dictis muris et Portae Urbis contiguus, trium millium fere passuum in longum protensus. Quinque Portis clauditur Civitas in sua planicie: ab Oriente Porta, quae dicitur Sancti Pauli in montis descensu. Ab Occidente in urbis longitudine Porta Sancti Georgii. A Septentrionis parte Porta Canis, habens ante se Pontem, quo tenditur ad paludes. Porta Ducis, inde distans passibus mille. Porta Pontis ab Orontis ponte sic dicta.

CAP. XXX. *De dispositione castrorum in obsidione Antiochiae.*

Cassianus autem tunc in ea Urbe principabatur, qui fuerat de familia Belfet Soldani Persarum. Hic quidem Belphet quum Syriam acquisivisset, Urbem hanc et alias Civitates et oppida provinciae inter nepotes et familiares distribuit. Solimanno quidem nepoti suo concessit Nicaeam urbem Bithyniae. Ducaro etiam nepoti Damascum tradidit, aliosque vocavit Soldanos. Servo suo Asongur nomen dedit Aleph inclytam Civitatem. Cassiano jam memorato contulit Antiochiae principatum. Caliph quoque Aegyptiorum usque ad Syriae limites occupabat. Audiens igitur Cassianus adventum tanti exercitus Latinorum, expavit, statimque nuntiis et epistolis Principum totius Orientis, maxime Caliphi Baldach, et Soldani Persarum potentissimi, quibus loquutus est, subsidia imploravit. Quibus praemissis Urbem Antiochenam omnibus copiis communivit, ne obsidione cedere cogeretur. Habuit autem intra Civitatem, exceptis predictibus, septem millia equitum armatorum. Coepta est itaque obsideri Civitas a Latinis XVIII. Octobris Anni supradicti, erantque in eorum exercitu quatuor centum millia armatorum. Stupor autem erat intuentibus tantas videre copias, tantos audire clangores. Bojamundus cum suis castrametatus est ante Portam superiorem, quae dicitur Sancti Pauli. Cui adhaeserunt deorsum Robertus Dux Northmandiae, Robertus Comes Flandriae, Stephanus Comes Blesensis, et Hugo Magnus Regis Francia Frater, cum quibus et Britones aderant. Ante Portam Canis castra fixerunt Raymundus Comes Tholosanus, Episcopus Podiensis cum omnibus suis, nec non et Provincialibus, Wasconibus, et Burgundis. Ante Portam Ducis castrametatus est Godefridus Dux, et Eustachius frater ejus, Balduinus Comes de Haynonia, Raynardus

Comes de Thul cum pluribus aliis Principibus, nec non Saxonibus, Svevis, Bavaris et Franconibus. A parte fluvii classe deficiente non est obsessa. Arboribus ad castrametandum abundabant. Disparilitas gentium, rituum, armorum, et vocum obsidentium plurimum terrefaciebat obsessos. Qualia autem, quamque varia in ea obsidione certamina, proelia, et conflictus fuerint, quamque multiplices eventus congressuum atque strages, ipsa dicendi copia potius silere inducit, quam loqui pauca de multis.

CAP. XXXI. De famis penuria in exercitu Latinorum.

Quumque Christiani in obsidione ipsa tertio jam mense commorati essent, tanta victualium penuria, quibus nimis profuse usi fuerant, sunt arctati, ut in ipsorum exercitu panis uno esu homini sufficiens duobus solidis venderetur; vacca quatuor Marchis argenti, quae a principio dabatur pro solidis quinque. Asellionus vendebatur octo Puratis, qui valent denar. CXX solidor. Annona equorum unius noctis XVIII. solid. vendebatur; ex quibus quidem equis, qui septuaginta millia computati fuerant, nonnisi duo millia supervixerunt, caeteris fame deficientibus. Qui vero supervixerant, erant etiam in acie impotentes. Papiliones et tentoria imbrium influenza corrupta, fere cuncta deficiebant. Morbus et lues plurimos mortalium opprimebat, ex quibus omnibus nonnullos corde mobiles accepti propositi poenitebat. Ad huiusmodi quoque oppressionem augmentum contigit, nonnullos Linguae Syriae atque Graecae gnaros, genere Turchos, sub habitu Syriorum, aut Graecorum, vel Erminiorum, castra discurrere, qui consilia et statum Latinorum obsidentium explorantes, singula referebant obsessis. Sed huic discrimini medelam

adhibuit Bojamundus; nam stratagemate usus est tali. Coenantibus enim cunctis, quosdam captivos ex Turchis jugulari et verubus infigi mandavit, ac demum igne assari. Hoc autem de Principum conscientia fecit. Sciscitantibus autem domesticis, cur hoc fieret, *sic*, inquit, *de cunctis exploratoribus decretum est fieri, et adustos insuper tradi Principibus ad edendum*. Quo spectaculo conterriti exploratores, in urbem confugiunt, narrantes obsessis quae viderant; asserebantque Latinos obsidentes omni ferro et lapide duriores, qui ad necessitudines quascumque passibiles humanis etiam carnibus vescerentur.

CAP. XXXII. *De proelio Latinorum cum Turchis, qui obsessis auxilio veniebant.*

Cassianus inter haec Turchorum dominus Christianorum penurias et afflictiones attendens, et in obsidione constantem perseverantiam, nuntiosque et epistolas ad ejus subsidium iterato amicis Principibus destinavit. Quorum adventu cum magnis copiis Latini cognito, dum non longe ab urbe essent, cum Turchis ipsis, aciebus sex dispositis, conflixerunt. Acri tandem proelio hinc inde commisso Turchi dedere fugam, quos Latini per decem millia passuum insequuti sunt. Occisi sunt autem ex Turchis duo millia; quingenti capti, quorum nonnulla capita hastis infingentes in signum victoriae ad exercitum detulerunt. Capti sunt et equi mille. Ducenta quoque capita ex ipsis occisis machinis projecerunt in Urbem; trecenta sudibus infixae in Urbis oppositum ad Turchorum ludibrium et terrorem etiam posuerunt. Relatu eorum, qui in ipso proelio capti sunt, erant venientes ad obsessorum subsidium vigintiocto millia equitum. Acta sunt haec VII. Februarii Anno

Incarnati Verbi Dei MXCVIII. Cognita hac victoria, ingenti moerore ac pavore consternati sunt in Urbe obsessi. Commissum est et aliud non minus grande proelium contra alios Turchos, qui auxilio obsessorum etiam veniebant. Latini enim per exploratores suos ipsorum adventu cognito, dispositis aciebus proelio illos aggressi sunt. Quumque durissime decertarent, Cassianus auxiliares sibi Turchos sic a Latinis armis concuti videns, jubet, suos Urbe ad pugnam egredi, et ne spem in fuga ponerent, portas obserari post eos. Hi Turchis auxiliaribus accurrentes, jam in fuga versis, ad reassumendam pugnam hortantur. Sed dum cernerent Latinos viribus ad proelium coalescere, et marte terribili Turchos persequi, trepidantes, quod ex Urbe prodierant, se se fugientibus immiscuerunt. Tantus ibi erat pugnantium strepitus, tantus armorum sonitus, et equorum hinnitus, ut tonare crederes ipsum Coelum. Tanta denique contigit Turchorum strages, ut vix bellantes Latini transire possent cadaverum acervos corruentium in campo. Quantus etiam erat, qui in Urbe remanserant, senum, et juvenum utriusque sexus ploratus et gemitus, caedem suorum intuentium, et detestantium vitae suae. Cassianus tandem suos videns deficere, portas Urbis aperiri jussit, quibus se se immittentes, qui fugiebant, tanta in Orontis Ponte pressura fugientium erat, ut in ipso flumine sint multi submersi. In hoc proelio mirabiliter claruit Godefridus: Turchum enim quemdam singularem cum eo pugnam poscentem, medium a lateribus gladio Lotharingo dissecuit, cujus dissecta medietate jam jam in armis palpitante, reliquam tulit equus, cui insederat, adeo firme, ut eam portaret in Urbem. Alium quoque Turchum in ea obsidione equo congressum, vibrato in caput ense, a vertice

usque ad inguen discidit, et ex eodem ictu sellam et spinam equi secuit. Alium militem in eadem obsidione pabulatum congressum a leone invasum, et clypeo se defendentem, tandem occisum, adeo indoluit, ut venabulo feram transfoderit, quae saucia et dolore acrius saeviens, in eum irruit, ita ut ex ferro, quod exstabat ex vulnere, ejus tibiam sauciavit. Mox ipse bestiam gladio evisceravit. Hoc de eo Vincentius a Willielmo traducens. Caesa sunt in eo proelio Turchorum duo millia, inter quos Admirati duodecim. Balduinus Rex Ragensium eo tempore victualium magna transmisit subsidia Christianis, et Bysantiorum millia quinquaginta.

CAP. XXXIII. *Qualiter Emirferus Turchorum Admiratus foedus clam cum Bojamundo firmavit.*

Erant autem in Antiochena Urbe, hac etiam obsidione durante, et longe anteactis temporibus fuerat Christianorum maxima multitudo, solum artibus mechanicis, et negotiationibus vacantium; nullo tamen Urbis potiebantur dominio, sed erant Turchis subjecti per omnia, quorum dominii jugum gravissimum permoleste ferebant. Ex eis multi ex illustribus erant orti prosapiis. Nonnulli autem Erminiorum genere erant, quod eorum idiomate *Benizeira* dicitur, idest Osbergerii filii, unde stirps illa descenderat. Hi turrim munutissimam et excelsam habebant, quae *Duarum Sororum* nuncupabatur. In ea stirpe Erminiorum dicta gemini fratres praeminebant, quorum major natu *Emirferus*, secundum alios Pyrrhus, Turchorum Admiratus, vir circumspectus et prudens Cassiano amicissimus, ejusque Secretarius, et in Palatio Scriba. Hic Bojamundi Ducis allectus fama per fideles internuntios amicitiae foedus cum eo sanxit. Septimo

autem obsidionis mense, quum Bojamundus saepius ipsum Emirferum amicum suum de tradenda Christianis Urbe per filium internuntium pertentasset, tandem in haec verba respondit: *Amantissime Princeps, tuus Emirferus nequaquam ambigit, quin sancitum inter te et ipsum amicitiae foedus ab illo descenderit, qui bonorum dator est omnium. Continuatione postmodum namque dierum continuatus est, et amoris augmentum. Quumque sibi sit tua grata notitia, amorque gratior, sperandum est, ut gratissimus subsequatur effectus. Confidit autem, quo eo cooperante, cujus negotium agitur, per vestram industriam gens sua eripietur de barbara servitute, et sublimabitur cornu Christi sui. Dudum autem vestra illum salubris, sed timenda petitio multa illius animum perplexitate detinuit. Hinc enim ad actum pium pulsant et Christianae Fidei sublimatio, et saevae tyrannidis exemptio, et sibi retributionis acquisitio sempiternae. Illinc timor et tremor animum ejus concutiunt, ne si res tanti discriminis in propatulo veniat, non tantum ipse inexcogitatis subjiciatur tormentis, sed universa ejus prosapia a saevissimis Barbaris deleatur. Verum quum soleant interdum mortales eventibus quamquam discriminosis se se fortunae committere, ut temporalia consequantur, nedum pro aeternis sint temporalia exponenda, statuit tibi confoederatus amicus his conditionibus modisque Christianis tradere Civitatem. Si Principes quidem exercitus Christiani communi voto decreverint, atque fidei verbo promiserint, obtenta Civitate non ad spolia inhiare de more bellorum, sed deletis hostibus, ad Christi cultum Civitatem ipsam servare, et ex suis colonos ibidem eligere semper mansuros, pollicetur vobis Urbis introitum, daturum munitissimam turrin, quam supra moenia possidet.*

Sed mature opus est facto. Continuant enim nuntii, et deferuntur epistolae, quod subsidiarii equites ad Urbem festinantes jam Orontem fluvium intraverunt numero ducenta millia armatorum. Quos si venire contingat, tantis copiis resistere nequeunt, captivati et mortui trademini universi.

CAP. XXXIV. *De colloquio Bojamundi cum Principibus super his, quae de Urbe tractabat.*

Bojamundus amici sui voluntate comperta, tacito eam corde servans, coepit prius Principum vota scrutari sagaciter, quid de Urbe fiendum esset, si eam capi contingeret armorum virtute. Sed dum nonnullorum vota petitioni amici dissona cerneret, tandem accitis Godefrido Lotharingiae, Roberto Northmandiae Ducibus, Hugone Magno Regis Franciae germano, et Roberto Flandriae Comite, *Si civitas, inquit, Antiochena a nobis caeterisque hujus exercitus Principibus mihi possidenda concederetur, spero posse ipsam in brevi, Domino annuente, acquirere.* Haec verba quum ad aures Tholosani Comitis deducta fuissent, adeo ea graviter pertulit, ut conceptum negotium fere fuerit in januis perturbandi. Inter haec rumor insonuit de subsidiariorum equitum obsessis adventu. Quumque Christiani per exploratores suos cognovissent, subsidiarios ipsos a Persarum Soldano transmitti, quibus Admiratum praefecerat nomine Corberanum; essentque exercitus Principes animis perculsi, et in multis colloquiis per diversas sententias traherentur, Bojamundus Princeps, vir magni consilii, advertens illos in tam repentino nuntio pavidos et stupidos, ad eos in his verbis loquutus est: *Carissimi Principes et Confratres, si perplexitate multiplici nostra in pendulo*

corda consistunt, nec est irrationabile nec mirandum, dum hostium multitudinem atque potentiam attendimus, ad nostra festinantium detrimenta, praecipue in tam insigni negotio, quod nostrae respicit Fidei culmen. Sed quod discriminiosius est, non video nos in ullam salutis sententiam esse concordēs, qua et venientibus hostibus resistere, et obsessos superare possimus. Est nonnullorum ex nobis sententia, ut pars exercitus venientibus hostibus procedat obviam, pars reliqua in obsidione persistat. Sed illud utique circumspectius considerandum est, quod si hanc sequimur sententiam, armis interim et victualibus subvenietur obsessis. Quod etiam ne fiat, universus cohibere nequit exercitus. Operae pretium itaque foret, ante hostium occursum ad Urbem vias exquirere, quibus nobis haec Civitas traderetur. Quod si modum quaeritis, paucis vobis aperiam. Est in hac Urbe Vir Christiana professione, aliisque spectatus virtutibus, foedere amicitiae mihi conjunctus, qui pro Fidei nostrae exaltatione, meique amoris intuitu unam ex turribus Civitatis, quam munitissimam possidet, se daturum spopondit, si mihi a vobis, quod Urbi praesideam, concedatur. In cujus praemii recompensam et magnam aeris quantitatem, et sibi, suoque generi liberam immunitatem pollicitus sum daturum. Advertite igitur, quaeso, quid reserata vobis importent. Decernite celerius quid eliciatur utilius. Et si mavultis aliam ad haec praefici, quod in me est, in eum transfundo, qui praeficietur a vobis. Deus scit, solum mihi curae esse, quod Christi negotium feliciter dirigatur.

CAP. XXXV. De assensu Principum, et quae Emirfero contigerunt.

His dictis universi Principes, qui adstabant, quasi divinitus inspirati, Tholosano Comite dumtaxat excepto, communi sententia omnem potestatem Bojamundo super his, quae retulerat, tradiderunt, promittentes rem ad tempus silentio occultare. Excusabat autem se Comes Tholosanus ideo sui juris ex Urbe portionem non concedere, quia maximis erat debitis obligatus. Haec autem omnia Bojamundus per internuntium reseravit amico. Accidit quoque eo die casus in urbe Antiochia valde horrendus, sed expeditioni negotii valde accomodus. Dum Emirferus amicus Bojamundi in Palatio Cassiani publicis negotiis superesset, et filium casu quodam remisisset in domum, comperit unum ex Admiratis Turchorum se cum Emirferi conjugē commiscentem. Qui quum rediens scelus patri narrasset, ille corde turbato et animo tumido ait: *Fili, quam saevissimi hi Barbari nos jugo dirae servitutis opprimunt, et nostris nos nudant substantiis, non contenti etiam legitima matrimonia nostra commaculant. Deus autem, ut spero, nostras in brevi injurias ulciscetur, cujus, ut nosti, sancta procuro negotia.* Rem autem silentio tegens, iramque dissimulans, misit filium Bojamundo insinuans, ut hora Nonae assumtis armis per acies disponeretur exercitus, ac si obviam vellet progredi Corberano. Et quum processissent itinere modico, hora primi galli cantus, nullo strepitu facto redirent, intenti, quod deliberaverat, prosequi. Quod et factum est. Disposuit haec enim omnia Bojamundus, cui cuncti Principes negotium illud commiserant. Reliqui tamen, qui in exercitu erant, ignorabant, quid Bojamundus foret acturus.

CAP. XXXVI. *Qualiter Emirferus fratre occiso Latinos recipit in Urbem.*

Inter haec Emirferus Bojamundo confoederatus, quum germanum fratrem, ut dictum est haberet, indagare volens, qualem in his haberet affectum, sic alloquutus est eum: *Compatior frater, nobis, et nostris oppressis, et illorum imminenti discrimini, qui licet Urbem hanc obsideant, nobiscum tamen sunt professionis ejusdem.* At germanus in haec verba respondit: *Bone frater, tua mihi videtur stulta compassio, et te dementem intueor. Opto potius eos trucidati a Turchis, quam de eorum cogitare salute. Ex quo enim malo illorum omine ad obsidendum hanc Urbem venerunt, nec nobis jucunda, nec quies corporum ulla fuit.* His auditis Emirferus conticuit. Nacto vero sibi tempore, iterum filium Bojamundo direxit, ut cum paucis clam propinquaret ad turrin. Ipse vero verborum fratris non immerito, quanto Christianorum negotium zelaret fervore, stupendo declaravit indicio. Arrepto enim gladio transfodit ejusdem fratris sui latera dormientis. Post haec per fenestram turris Bojamundum respiciens, demisso fune indicavit ascensum. Cunctis vero, qui cum Bojamundo erant, diffidentibus ad ascensum, solus Bojamundus foederis fide fultus per funem ascendit. Emirferus autem diu optatum amicum recipiens, in amplexus illius et oscula ruit, Deoque gratias agens, fratrem interemtum ostendit, et cur eum occiderat, patefecit. Bojamundus vero tam fideli fervore, tamque forti constantia stupefactus et laetus, invitat reliquos ad ascensum, quibus iterum ascendere diffidentibus, Bojamundus se per funem demisit ad illos, et quum de fratris nece illis indicasset, certatim conantur ascendere.

Comes Flandriae, Bojamundus, et Tancredus primi ascenderunt: munita turre statim discurrunt ad alias, quas interfectis custodibus occuparunt. Aperta est quoque posticus juxta turrem Emirferi vi disiectis repagulis, per quam Latinorum exercitus multitudo maxima introivit. Post haec unam ex Portis Urbis seris confractis aperuerunt, per quam etiam ingens discurrit Populis. Unus e servis Bojamundi super turrim excelsam juxta Urbis Palatium Bojamundi vexillum erexit.

CAP. XXXVII. *De strage Turchorum in Urbe Antiochena.*

Expergefatti autem Turchi, et consternati armorum fragore, tubarum, lituum, et buccinarum concentu, et immensae multitudinis Latinorum per Urbem discurrentium tumultu atque clamore, fugam arripiunt. Latebrarum quaerunt praesidia. Sed Christiani adjunctis pariter secum reliquis, qui in Urbe obsessa erant, Syris, et Armenis, magnam in Turchos caedem exercent, et thesauros illorum evacuant. Stupor erat cadaverum acervos cernere, cruoris torrentem conspicerere, ploratus et lamenta miserorum audire. Gladius Latinorum nulli parcebat sexui, nulli miserebatur aetati. Caesa sunt eo die Turchorum plusquam decem millia.

CAP. XXXVIII. *De morte Cassiani.*

Cassianus porro his cognitis, viribus destitutus et animo, clam per posticum velut amens, et quo delitescendo fugeret inscius, Urbem exivit. Tandem per agros hinc inde discurrrens, a quibusdam Armenis deprehensus est, et abscisso capite detulerunt illud in Urbem. Victualia fere nulla in Urbe comperta sunt; praeda vero tam opima, ut et ditati sint pauperes. Quingenti dextrerii,

exiles tamen, ibi sunt inventi. Capta est autem civitas Antiochena ab exercitu Latinorum decimo obsidionis mense, die III. Junii, Anno Incarnationis Filii Dei MCXVIII.

CAP. XXXIX. *Qualiter Christiani obtenta Antiochia obsessi fuerunt a Corberano.* Corberanus interea Turchorum Admiratus, quem Persarum Soldanus in auxilium obsessorum in urbem mittebat, accepta licentia a Calipha, suae gentis Apostolico, cum tantis advenit copiis, quantas nulla aetas meminerat. Qui die tertia post captam a Latinis Urbem castrametatus est inter Orontem et lacum. Deinde propius accedens, a Porta Orientis usque ad Portam Occidentis, et Colles meridianos, Urbem obsedit. Sic igitur casus alternante fortuna, quae actus deludens humanos, nunc hunc, nunc illum humiliat et exaltat, nunc qui obsederant, obsidentur, et qui in victoria quietem sperabant, nunc ad defensionis molimina coguntur accingi. Suberat eis et aliud, videlicet familiare discrimen. Castellum enim, sive Municipium, in Urbe excelsiori montana consitum, adhuc tenebatur a Turchis, per quod in Urbem habebant aditum et egressum. Quo metu Latinorum plurimi terrefacti, sacramenti sui immemores, demissis per murum clam funibus fugiebant; quorum nonnulli manus Turchorum incurrentes trucidabantur, alii negotiantibus obvii, atque Peregrinantibus fugere suadebant. Inter hos fugientes notati sunt Wilielmus de Grantemaisnil Northmandus Cognatus Bojamundi, Albericus frater ejus, Vido Truisellus et Lambertus Pauper, perpetuo opprobrio appellati. Sed ne reliqui fugerent, jussit Bojamundus adhiberi custodias.

CAP. XL. De peste famis, quam Christiani passi sunt in Antiochia.

Obsessis igitur in Urbe Latinis, horrenda adeo fames invaluit, ut equinae et asininae carnes Latini obsessi pro Imperialibus deliciis computarent. Gallina quindecim solid. ovum duobus solid. nux, vel glans uno appretiabantur denario. Panis paximais et permodicus Bysanteo vendebatur. Nobiles, qui consueverant splendide convivari, postposito rubore se edentibus ingerebant, crebroque confusionis patiebantur repulsam. Plurimi utriusque sexus generositatem prosapiarum, et genealogias eorum inclytas, dignitatumque praeeminentias contemplantes, victi pudore intra aedes, immo verius intra fauces, seu claustra se se angustiosae mortis includentes, fame crudelissima occumbebant. Ibi strenui milites, impugnatores invictissimi, ibi bellatores imperterriti, prae angustia famis vix baculis innixi, artus imbecilles sustinentes, capitibus demissis victum perquirebant in Urbe. Matres lactentes filios ab uberibus succidis amovebant, eos in locis publicis exponentes. Nonnulli ad earum pendentes ubera inter amplexus morientium oscitabant. Filius juxta patrem, vel e contra, ancilla juxta dominam, vel viceversa, fame deficiens semianimis corruebat. Parvuli panem queritabant, nec erat qui frangeret. Delicati divites deficientibus cibis, in quibus erant nutriti, pepones, et alia, cepas, et olera frustra desiderantes, fame peribant. Multitudo vulgi contracta, vel oris molestia fatigata diutius deficiens arescebat. Difficillimum erat, immo impossibile in tanto Populo hominem invenire cui vitae necessaria suppetiissent. Aurum et argentum nullius erat pretii apud illos. Raro ullis in historiis legitur, tot viros illustres

tot Populorum exercitus, tantam tamque saevissimam famis penuriam tolerasse. Interdum nonnulli nocte Urbe egredientes, a negotia toribus Armenis et Graecis victualia mercabantur, et ad Urbem deferebant Turchi autem crebro Latinos infestantes obsessos, ut magis peste famis arctarentur, nec esset qui eis victualia ministraret, missis ad mare duobus millibus militum, nautas et negotiationes ibi repertos occiderunt, et naves incendio consumserunt. Quod audientes, qui de Insulis Cypri, Rhodos, Ciliciae, Ysauriae, Pamphiliae cum victualibus etiam veniebant, retrocesserunt. Unde qui in Urbe erant, coeperunt tanta desperatione remitti, ut et Principibus obedire contemnerent circa ipsorum et Urbis tutelam.

CAP. XLI. *De probroso discesu quorundam ex Antiochia, et reversione Imperatoris Constantinopolitani.*

Inter haec Willielmus de Grantemaisnil, et qui cum eo de Antiochia demissi funibus per murum effugerant, dum venissent apud Alexandriam minorem, non longe ab Antiochia distantem, invenerunt ibi Stephanum Comitem Blesensem, qui ad Christianorum festinans cum multis exercitum, ibi recreandi causa diverterat. Hujus adventum Christiani in Antiochia obsessi anxie exspectabant, quia vir consilii erat. Comes postquam a fugientibus Christianos cognovit obsessos, tantaque famis inopia laborare, suadentibus fugitivis, regressionis ad propria iter accepit. Et dum reverteretur, agnovit Imperatorem Constantinopolitanum cum maximis copiis Christianorum subdisio apud Antiochiam festinare. Et jam applicuerat in Civitatem, quae dicitur Finemviae. Erant et cum eo ex Latinis quadraginta mille Peregrini. Nam multi infirmitate, alii propter viarum

discrimina remanserant in itinere. Plurimi quoque novo voto aggressi passagium, ipsius Imperatoris exercitum sequebantur, ac etiam exspectabant. Veniens autem Comes Stephanus abolendae memoriae ad Imperatorem cum pusillanimis et infidis collegis, et ab ipso Imperatore causae adventus ignaro laetanter exceptus (erat enim illi notus, eumque Imperator virum spectabilem reputabat) dum percontaretur Imperator de statu exercitus Latinorum, qui transierant, eorumque successibus, deque sui causa recessus, in hunc modum respondit.

CAP. XLII. *Verba suasoria ad Imperatorem, ut a pio voto discedat.*

Serenissime Imperator, noverit sublimitas tua, quod viri spectabiles Duces, et Comites, eorumque exercitus, tui homines ligii, et fideles iurati, quos dum per tui ditionem Imperii transeuntes summa honorificentia tua recepit munifica celsitudo, capta tibi tradita urbe Nicaea, procedentes ad Urbem Antiochenam, eam obsederunt, et tandem tractatu illa obtenta, dum ipsius potirentur dominio, municipio dumtaxat excepto, inexpugnabili quidem, tertio captionis die supervenit Corberanus Turchorum Admiratus, a Soldano Persarum missus cum innumerabili armatorum manu, ipsamque Urbem obsedit. Latinos autem in ea obsessos tanta famis oppressit penuria, ut invideant jam defunctis. Nos autem, qui huc ad tuae Majestatis praesentiam venimus, dum cognovissemus argumentis variis negotium a Latinis inchoatum laudabilem non posse sortiri effectum, essetque verisimile Deo non placitum esse, et sic illius prosequutio foret divinae reluctatio voluntati; Quumque suaderemus inde discedendum, nec Domino

reluctandum, et nonnulli pertinacis propositi, et ad deteriora proclives nostris obaudirent suasionibus, attendentes ipsorum exercitum in faucibus positum dirae mortis, et minime de salute curantem, vale dicto eis, qui summe indigent, inde discessimus. Constituti autem coram excellentia tua, per illam fidem, qua tui ligii homines, consulimus, et suademus tibi regressum. Licet enim tuae Majestatis sublimitas caeteris Orbe praeclarius ac potentior, tuus tamen heic tibi assistens exercitus nequaquam posset Corberani copiis praevalere, quae sicut arena maris dinumerari non possent. Quibus nunc velle resistere, nihil aliud est, quam te, tuamque gentem cum caeteris obsessis morti probrosae contradere. Porro quanto progredieris ulterius, tanto probrosius inde discedes.

CAP. XLIII. *De recessu Imperatoris Constantinopolitani, qui obsessis Christianis subsidio veniebat.*

Imperator Constantinopolitanus, auditis his, quum stupefactus et consternatus efficeretur, statim Guido Bojamundi frater, qui cum suis etiam sequebatur Imperatorem, commotus valde ex verbis Stephani Comitis et sociorum, Imperatorem respexit, et ait: *Non sunt haec verba vera, invictissime Princeps, nec a constanti et prudenti viro credenda, quae hi tibi referunt. Sola enim pusillanimitas sic eos fecit esse loquaces. Vix verba finierat, quum Comes Stephanus in iram excandescens Guidonis sermonem interromperet, et perventum fuisset ad jurgia, nisi Wilielmus de Grantemaisnil, vir eximiae prudentiae, magnaeque prosapiae, licet cordis parvissimi, qui et Guidonis sororem habebat in conjugem, se inter*

utrumque mediatorem interposuisset, et Guidonem ipsum ad silentium coëgisset. Porro Imperator suorum Principum consilio retrocessit, et per Cumaniam rediens cuncta depopulatus est, ut si Turchos contingeret ipsius exercitum insequi, victualium penuria regredi cogerentur. Suasionibus igitur, et assertionibus falsidicis Blesensis Comitis, suae degenerantis tam probrose inclytae generositati, super tanto discrimine Populi Christiani, tantoque negotio Jesu Christi a tam laudabili proposito minus provide, minusque constanter resiliit Imperator, occasione data Christianis obsessis incurrendi desperationem extremam. Sed o admiranda divinae dispositio majestatis; quam tua sunt occulta judicia, et investigabiles viae tuae! Pusillanimitate quidem Comitis Stephani miraculosam et mirabilem Dei potentiam patefecit. Si enim Constantinopolitanus advenisset cum suis copiis Imperator, subsidiaturus Christianis obsessis, ut jam erat in ipso procinctu itineris constitutus, et Turchorum fuisset innumerabilis multitudo subacta, non sic victoria soli Deo fuisset adscripta, non sic profundis affectibus gratiarum illi exhibitae exactiones, sed de tantis pressuris Christiani populi Imperator ipse triumphi praeconium reportasset. Sola itaque Dei dispositione et quod dictum est, et in sequentibus dicetur, peractum fuisse credendum est, ut obsessi Christiani consequuta victoria illud Davidicum merito decantarent: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

CAP. XLIV. *De tristitia obsessorum ex non recessu, et elatione Corberani.*

Nuntiatis autem rumoribus in Antiochena Urbe de Imperatoris regressu suasionibus perfidis Stephani Comitis, et Willielmi de Grantemaisnil, et sociorum,

Christiani tunc ab omni spe et consilio ac praesidio destituti, et supremam desperationem coacti, una omnium voce suorum perfidiam detestantes, maledictiones illis imprecabantur innumeras, qui tanto eos tamque horrendo discrimini exponebant. Corberanus vero Turchorum Admiratus Antiochiam obsidens, tristitiam de Imperatoris adventu convertit in gaudium, et in arrogantiam summam elatus, severius coepit aggredi obsessos, et audacius oppugnare. Christiani autem, qui obsessi erant, magis ac magis resistere negligebant, se se tristes et remissi domibus includentes. Quod dum adverteret Bojamundus, qui tunc illis praeerat, Civitatis, ut dictum est, Princeps effectus, jussit praeconis voce latitantes egredi, seque ad pugnandum accingere. Sed dum nec venirent, nec etiam possent de domibus et latibulis ejici, tandem perturbatus eorum pertinacia Bojamundus, jussit in nonnullis aedibus locisque ignem immitti: sicque coacti, Principis mandatis obtemperant. Inter haec quoque crebrescit in Urbe fama, et inter populos murmur resonat, nonnullos ex Principibus, reliquisque Nobilibus Urbem clam egredi communi consilio decrevisse, caeteros in tantis angustiis socios relicturos. Hoc sentiens Godefridus, vocato Podiensi Episcopo, aliisque Principibus, multisque Nobilibus, pedibus eorum supplex collacrymans quasi prostratus rogabat eos, ne famae hujus relatibus se efficerent noxios, nec suasionis diabolicae instinctu, aut rerum ulla desperatione a pio sanctoque eorum proposito atque voto resilientes, et omnipotentem Dominum offendentes, praeter animarum suarum judicium, et in praesenti seculo perpetuam incurrerent notam infamiae, successurae posteritati eorum sempiternum opprobrium cunctorum digitis demonstrandum. His verbis compuncti, qui

sua pusillanimitate pia vota mutaverant, constantiam induerunt. Premente tamen famis saevitia, multa erant in Urbe susurra, dum etiam rememorarentur jucunditates et divitiae in patrio solo relictæ, pro Dei obsequio, ac considerarentur quæ obsessi a Turchis saevissimis exspectabant in detestationem Fidei Christianæ. Sicque prorsus ignorabant quid essent acturi.

CAP. XLV. *De inventione Lanceæ Christi, et ejus miraculo.*

Dum in his angustiis saevissimæ famis obsessi consisterent Christiani, quas et difficillimum et longissimum pariter esset recitare per singula, tandem miserator et misericors Dominus suarum operationum non immemor, servis suis dignatus est adhibere his afflictionis suæ remedia consolationis et spei. Clericus namque quidam Petrus Bartholomæi nomine, vir peregrinus, genere Provincialis, simplicitate ac rusticitate sancta suffultus, die quadam ad Episcopum Podiensem, et Tholosanum Comitem accedens, magno cum timore ac rubore retulit, Beatum Andreæ Apostolum in somnis tertio apparuisse dicentem, Lanceam, qua sacrum Christi Latus perforatum exstiterat, sub terra esse ante fores videlicet Basilicæ Antiochenæ Beati Petri Apostoli, et sibi locum, in quo erat ostendisse patenter. Dicebat etiam, se nequaquam venisse ad eos talia relaturum, nisi idem gloriosus Apostolus Andreas fuisset ei minas gravissimas interminatus, si distulisset hanc visionem referre. Fide igitur verbis adhibita, Principes exercitus ante ipsa Ecclesiam procumbentes cum magnis lacrymis, et humiliato spiritu, cordeque contrito, oratione ad Dominum fusa, locum a Peregrino demonstratum

suffodi mandaverunt, et Christi Lanceam invenerunt. Quo miraculo laeti valde, jurejurando votum denuo innovarunt, se Christi negotium nullatenus deserturos, sed pro ipso, qui ad salutem eorum passus est, se cuncta passuros, ut Terram Sanctam eripiant de spurcissimis manibus Barbarorum. Contigit praeterea aliud non minus stupendum miraculum ad Christianorum in pressuris profusam laetitiam. Orta siquidem inter quosdam Principes de Lancea reperta tanta dubitatio est, ut diversi in diversas sententias traherentur. Quidam enim Lanceam esse, quae ut dictum est, Christi latere perforato, ejus fuerat pretioso Sanguine irrorata, etiam ad consolationem ac confortationem Populi sui repertam dicebant. Nonnulli publicabant, rem hanc illusionem esse, a Tholosano Comite confictam, ut ex ea quaestum faceret, et thesaurum congregaret ex oblationibus Latinorum. Hujus famae falsidicae auctor erat Hernoldus Sacerdos, Ducis Northmanniae Capellanus, atque domesticus, qui licet vir literatus esset, tamen filius tenebrarum inter Christianos in multis apparuit. His cognitis a simplice viro Dei, cui de Lancea fuerat revelatum, ad Principum intrepidus praesentiam festinans, talia est exorsus: *Non ambigat credulitas pia Fidelium, inclyti Principes, divina revelatione factum, non humana illusionem patratum, quod de Christi Lancea cognovistis. Et ut certissimo comprobetis experimento quod Dei fiducia vobis attestor, instruatur in conspectu omnium rogas, et flammis ingentibus accendatur. Quod quum factum fuerit, ego me met ipse Lanceam deferens, flammis ipsis injiciam, aquibus si illaesus evasero, quod confido, sine percunctatione quaeso credite, divino miraculo applaudentes.* His dictis et a cunctis approbatis, statim, ut dixit, paratus est ignis. Erat autem die ipsa

non sine, ut reor, divino mysterio Feria Sexta, ut ejusdem Feriae antiqua Dominus miracula renovaret. Vir Dei fusa ad Deum oratione, accepta Lancea, flammam insiliit altitudinis pedum XIII et transiens illas omnibus intuentibus laetus et illaesus exivit. Tanto stupefacti universi miraculo, magno applausu gratias referunt Salvatori.

CAP. XLVI. *De legatione Petri Eremitae ad Corberanum.*

Post haec quum jam mense fere uno Christiani obsessi a Turchis, Duce Corberano, tam infestae famis angustias tolerassent, refocillati tamen quodammodo tanto miraculo, et in Domino confidentia sumta, una omnium haec sententia fuit, eligibilis quidem fore uno fine omnes finire angustias confligendo cum Turchis, ut sic aut victore, aut martyres fierent, quam inclusi et obsessi miserabunde perire. Missus est itaque Petrus Eremita hujus sanctae peregrinationis venerandus initiator et auctor, et cum eo alius magnae religionis vir, et linguae Saracenicae, maxime Persicae, luculenter edoctus, ad Corberanum Admiratum Turchorum, qui, ut dictum est, Antiochiam obsidebat. Hic juxta sibi traditam a Principibus Latinorum informationem, et secundam sibi datam a Domino gratiam, quae ejus in labiis erat diffusa, in opere videlicet et sermone, Civitatem egressus, ad tentoria Corberani accessit, et inter Principes et Collaterales suos pompa eximia residentem, absque salutatione et omni exordio, nulla reverentia aut honore exhibito, in hunc modum alloquutus est: *Sancta et inclita illa Principum, Populique Christiani Societas in hac Urbe Antiochena consistens tibi mandat, ut ab obsidione hac cum omnibus tuis copiis sine more*

discedas, ipsam aut ejus incolas nullatenus impetiturus de caetero, quam Dei Filius eis tradidit possidendam. Nam Princeps Apostolorum Beatissimus Petrus, super quem stabilitum est nostrae Fidei fundamentum, sua praedicatione atque miraculis illam convertit ad cultum nominis Jesu Christi. Hanc nuper Principes virtuosi, qui in ea sunt, acquisiverunt, eamque possident, tamquam patrimonium Crucifixi. Si autem eorum mandata seu monitiones nunc implere contemseris, scito tibi non minimum imminere discrimen. Decreverunt siquidem communi omnium voto cum tua gente confluere, et litem hanc gladio terminare. Sed ne tam horrenda caedes incurrat, vel solus ad pugnam contra unum ex nostris Principibus congregere, vel quot malueris ex tuis contra totidem ex nostris. Victricis vero partis sint omnia.

CAP. XLVII. *De responsione Corberani, et praeparatione Christianorum ad pugnam.*

Corberanus hac Petri legatione valde commotus; Petre, inquit, qui te ad nos miserunt, nondum, ut video, eo potiuntur statu, ut in eis sit, optiones nobis decernere; quod nostra invicta potentia ad id perduxit, ut proprio privatos arbitrio, consistat in manibus nostris mors illorum et vita. Revertere igitur fatue ad fatuos, qui te miserunt, eisque annuntia fatuitatem eorum, qui quum in faucibus mortis consistent, non considerant dementes imminetia sibi fata. Nec etiam latere illos volumus, quod jam Civitatem uno consumsissemus incendio, nisi decrevissemus, eos velut captivos saeva languentes fame velut morbidas pecudes interite. Quum nobis libuerit, Civitatem ipsis invitis intrabimus, et servituti aptos mares et foeminas reservantes, reliquos velut arbores steriles gladio mandabimus trucidari. Reversus

Petrus in Urbem, remota Populorum caterva certatim currentium, ut eum audirent, quaecumque audierat, proceribus exercitus indicavit. Ut autem populus non contristaretur sed animos reassumeret ad pugnandum, palam omnibus nuntiavit, Corberanum velle cum eis confligere. Quumque universi altisonis vocibus decertandum clamarent, et in Dei nomine proelium viriliter assumendum, laeti Principes ad haec diem crastinam, quae fuit tertia Junii, statuerunt. Edictum quoque est, ut universi summo diluculo ad proelium sint accincti.

CAP. XLVIII. *De dispositione acierum Christianorum.*

Igitur mane sequenti peractis devotissime Missarum sollemniis, factaque confessione delictorum, ac corde contrito, Dominici Corporis et Sanguinis sacramento recepto, confortati, animis, et viribus resumptis, desideriis summis anhelant Christiani. Episcopi enim et Sacerdotes et universus Clerus sollemni processione laudantes Dominum et Populum benedicentes in remissionem criminum, universos hortabantur ad pugnam. Inter hos eminebat Episcopus Podiensis. Post haec acies disponuntur. In prima praefuit Hugo Magnus Regis Franciae frater. In secunda Robertus Flandriae Comes cum Roberto Frisone. In tertia Robertus Dux Northmanniae. In quarta Comes Stephanus de Albemariae. In quinta Episcopus Podiensis, qui depositis monachalibus vestimentis, armis accinctus, Christi Lanceam deferebat, et cum eo erant armigeri Comitis Tholosani invaliditudine decumbentis. In sexta Raynaldus Comes de Tul, et Wernherius Comes de Gres. In septima Raymbaldus Auraxiae Comes. In octava Godefridus Lotharingiae, strenuissimus Miles, cum Eustachio fratre

suo. In nona vir virtute spectabilis Tancredus Ducis Apuliae nepos. In decima Hugo Comes Sancti Pauli, et cum eo Balduinus de Borch. In undecima Rotrondus Comes Perticensis. In duodecima Isuardus Comes Diensis, et Gerardus de Rossilono. In decima tertia et utilam praefuit Dux Apuliae Bojamundus. Erant et alii spectatae virtutis strenui pugnatores in qualibet acie; sed ultima et numero et fortitudine Principum caeteris praeeminebat, quae sola deputata fuit illis aciebus succurrere, quas hostium potentia magis arctaret. Tholosanus Comes aegritudine invalidus in Urbe remansit, adhibitis secum CC armatis, qui Civitatem tuerentur adversus Turchos qui municipium detinebant. Decretum est etiam ut nisi peracta victoria nemo spoliis inhiaret.

CAP. XLIX. *De progressu ad pugnam.*

Ordinatis igitur aciebus Turchi, qui, ut dictum est, in municipio erant, signo dato, pro ut a Corberanno edocti fuerant, statim praemissi sunt ab ipso Corberano adversus Pontis introitum, ne Latini possent progredi, duo millia Arcatorum. Reseratis autem portis Civitatis acies suo ordine, militarique disciplina procedunt. Hugo Magnus primae aciei Dux in Arcatores primus irruens, qui ut Pontis exitum Latinis prohiberent, equis defilierant, virili proelio convertit in fugam, nec oblitus est gladii. Cassianus etiam Collateralis ejus cognomento de Ribomonte non segniter se habuit inter Turchos, sed velut Miles doctus ad proelia strenue pugnans, quum interdum videretur ab hostibus interceptus, viam sibi ferro parabat. Comes Flandriae, Dux Northmandiae, et Comes Haynoniae, pugnacissimi Principes, sunt etiam persequuti fugientes, sicque pauci ex Arcatoribus

evaserunt. Porro interea contigit, quod dum Latinorum acies egrederentur ab Urbe, coeli desuper rorant, Salvatore Domino influente. Quaedam enim dulcis pluviola tamquam roscida stilla cecidit super eos, laetificans mirum in modum equos et equites. Erat quippe tam subtilis et modica, ut magis sentiri potuerit quam videri, velut quaedam guttulae irrorantes. Egressis itaque omnibus aciebus ab Urbe, dispositisque, ut negotii arduitas exigebat, obstupefacti sunt Turchi, et quodammodo consternati, visa tam ingenti, tamque disposita multitudine Latinorum. Inter ipsas acies erant Sacerdotes et Clerici signum Crucis in manibus deferentes, et altisonis vocibus Domino decantantes: *Contere fortitudinem illorum Domine, et disperge illos, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster; neque confundantur sperantes in te.* Inter haec Corberanus suis dispositis aciebus iussit Solimannum, qui praeerat aciei praestantiori versus mare procedere, antequam Latini universam campi planiciem occuparent inter montem et Urbem, ut si Latini succumbentes, se ad mare conferrent, fugam illorum acies illa praeiperet. Hortatus est insuper Turchos ad proelium contra famelicos et languidos pugnatores.

CAP. L. *De proelio terribili, et fuga Turchorum.*

Post haec proelii hinc inde signo dato, primae tres acies Latinorum concitatis equis ad pugnam prosiliunt. Quibus strenue dimicantibus Turchi quoque ipso primo impetu non segniter restiterunt. Francigenae in eo proelio optime pugnaverunt. Flaminghi viriliter decertarunt. Northmandi ferro ferociter pressuram hostium confregerunt. Theutonici vires suas in ensibus demonstrarunt. Et demum unusquisque

Latinus Christi pugil apparuit gloriosus. Quumque Turchi pertinacissime debellarent in acies Latinorum primo progressas, tandem reliquae acies, excepta ultima Bojamundi, accurrunt viriliter. Tunc proelium durissimum innovatur. Hinc animosi Christiani, illinc saevissimi Turchi quid valeant dexterarum experiri conantur. Tanta erat ibi armatorum concussio, tantusque compugnantium strepitus, ut omnium confunderetur auditus. Dux Godefridus cum acie sua inter confertissimos hostium cuneos se immittens, tantam egit stragem, ut ex corruentibus campo stramentato, reliqui converterentur in fugam. Quod Solimannus advertens, cum acie sua adversus Bojamundum ultimae aciei Latinorum Ducem gressum convertit. Emissis jaculis arcus suspendunt in humeris, et tam dire gladiis decertarunt, ut prae lassitudine illorum equi deficerent. Dux Godefridus, et Tancredus Bojamundi nepos, hoc visto proelio, accurrunt celeriter Bojamundo, quorum praesidio Solimannus ad fugam compellitur. Quem cum suis Latini insequentes igne stipulis a Turchis immisso ab insequendo desistunt. Quum ecce fugientes Turchi ascenso eminenti colle dederunt suis signa receptui; sed Latini ibi suas acies divertentes, expugnato colle, Turchos fugarunt, se se praecipitiis semianimes immittentes. Sed et Corberanus inter haec Turchorum Admiratus, qui se a belli principio in vertice cujusdam montis posuerat, ut belli videret exitum, et exitum evitaret, visa suorum strage atque fuga, fugiendi etiam quaerit praesidium cum assistantibus sibi paucis. Quumque consternatus et pavidus quo diverteret, et necem effugeret, ignoraret, tandem Eufratis flumen vadavit. Cujus fuga cognita statim Turchi fractis eorum viribus et animis, Duce et auriga destituti,

solam fugam capescunt. Tantus autem illos timor invasit, ut decem Christiani quingentos fugarunt ex illis. Manifesto quoque experimento ostensum est ibi Fidelibus, nullum esse consilium contra Deum, qui etiam non relinquit sperantes in se. Parvus enim Christianus exercitus comparatione multitudinis hostium, paupertate et fame afflicto, tantis itineribus lassus, tamque severa recentique obsidione arctatus, tam miraculoso Salvatoris sui auxilio tantam subegit Persarum potentiam tantis voluptatibus affluentem.

CAP. LI. *De praeda ex castris Turchorum habita, et municipio reddito.*

Peracta igitur hac triumphali victoria, dum Latini ad Turchorum castra venissent, tantam praedae copiam invenerunt, ut ejus pretium aestimatio humana non caperet. Ibi omnis homo ditatus est. Inter caetera farinae ibi abundantiam, et equos plurimos, quibus duobus summe indigebant, lucrati sunt. Praeter quoque auri et argenti, vasorum et vestium spolia, habuerunt etiam papiliones et tentoria pretiosa plurimum illis accommoda. Numquam tam pretiosus tam opulentus visus est exercitus, sicut erat exercitus Corberani. Reductis in Urbem spoliis, inter caetera visu digna, fuit mirabile tentorium Corberani, in Civitatis similitudinem elaboratum, turres, propugnacula, atrium, coenacula, triclinia, vicos, et plateas in se continens cum singulis officinis. Quae omnia elaborata erant ex auro, purpura, et bysso, opere sumtuoso. In cujus aula discumbere poterant hominum duo millia. Post haec qui in municipio erant, ex hac consternati victoria, concessa sibi et liberis ac conjugibus vitae et rerum immunitate, illud statim Christianis victoribus reddiderunt. Pro hac igitur

tam laeta tamque miraculosa victoria Latini omnes Salvatori Domini gratiarum exsolverunt innumeras actiones. Sed o quam stupenda, quamque a Fidelibus dignis extollenda praeconiis divinae operatio Majestatis! quae servos suos in mortis faucibus et paupertatis ac famis angustiis constitutos, sic mirabiliter ad vitam reservatos tam miris ditavit thesauris, tantisque copiis satiavit. Ut enim de innumerabilium Principum ac Nobilium pudibunda esurie ac paupertate unus sufficiat in exemplum, Godefridus Lotharingiae Dux tanta in ipsa obsidione paupertatis erat mole depressus, ut quum ad aciem suam progressurus esset, vix equum impetraverit a Comite Tholosano: ipse quidem Princeps et munificus, et in cunctos liberalissimus omnia pro sustentandis suis fuerat elargitus. Multi quoque alii Nobiles, qui consueverant equorum pompam ducere, asinos, et alia jumenta vilia equitarunt. Nonnulli etiam pedes pugnarunt. Numerus occisorum Turchorum in ipso proelio habetur incertus. Acta sunt haec Anno Incarnationis Dominicae MXCVIII. Quarto Kalend. Julii, qui est mensis Junii dies octava vicesima.

CAP. LII. De restauratione Ecclesiarum Antiochiae, et Principatu ejus Bojamundo collato.

Post bellicos autem conflictus, requie lassis data corporibus, et rei publicae Antiochenae urbis statu disposito, consulentibus ac requirentibus Podiensi Episcopo, caeteris Praelatis et Clericis, qui in urbe ipsa aderant, decreto omnium provisum est, ut singulae urbis Ecclesiae a Barbarorum profanatae sordibus purgarentur, Sanctorumque imagines et alia quaecumque reparatione ac reformatione indigentia deberent ad divini cultus obsequium instaurari, et praecipue Beati

Petri Ecclesia Cathedralis. Quod in brevi factum est affectu devoto Fidelium. Nam et in ipsa Ecclesia caeterisque suffraganeis provisum est, et de Praelatis, et de redditibus Canonicis, et Clericis Linguae Latinae. Johannes quoque tunc Antiochenus Patriarcha, quum esset Graecus, ejusque linguam, sive idioma Latini Nobiles non intelligerent, et etiam Populares, sponte officio resignavit, et in Constantinopolim secessit. In cujus locum subrogatus est Bernardus Torsensis Episcopus, natione Valentinus, qui cum Episcopo Podiensi veniens ejus fuerat Capellanus. Dominium Urbis contradiderunt Duci Bojamundo, juxta quod decretum fuerat, antequam Urbem obtinuissent, ut dictum est supra. Sed Tholosanus Comes, qui decreto huic non assenserat, ut praedictum est, sortitus est Portam Pontis cum turribus aliquibus, quas munitas retinuit. Facto igitur Duce Bojamundo Antiochiae Principe, Legati ad Imperatorem Constantinopolitanum Alexium diriguntur, rogantes, ut juxta conventiones dudum initas cum Latinis in subsidium Latinorum super negotio Jesu Christi cum omnibus copiis festinaret, maxime pro acquirenda ab impiissimis Barbaris urbe Sancta Hierosolyma, ad quam decreverant proficisci. Si vero recusabat, denuntiabant ei, se nullis promissis aut juramentis sibi praestitis ulterius obnoxios esse, nec ea ullatenus servaturos. In hac legatione missi sunt Hugo Magnus Regis Franciae frater, et Balduinus Haynoniae Comes, qui quum in manus devenissent Turchorum, Hugo tamen evasit; sed qualis fuerit Balduini exitus ignoratur. Hugo in legatione ipsa sui nominis famam plurimum denigravit. Qui quum esset illustri prosapia genitus, et in exercitu Christianorum munifica liberalitate ac spectata virtute inter cunctos

enituisset, nusquam ad exercitum ipsum reversus est, sed ab Imperatore discendes, in Franciam remeavit.

CAP. LIII. *De peste, quae Christianos invasit in Antiochia.*

Interea Latinis in urbe Antiochena adhuc consistentibus contigit et alia pestis, non minus fame crudelior. Lues quidem et morbus sic infecerunt aerem, ut singulis diebus multi morte praeventi corruerent. Turmatim ad Ecclesias mortui ferebantur; et quum nulla fere vivis spes salutis adesset, mortem quisque in januis expectabat. Vir venerabilis Podiensis Episcopus Hermannus nomine, spectatae fidei et ali consilii, totius exercitus currus et auriga, hac lue defunctus est, cujus mortem luit et luxit Populus universus. Sepultus est cum magnis exequiis ante fores Ecclesiae Beati Petri Antiochiae, loco in quo reperta fuit Lancea Crucifixi. Henricus quoque de Asque tunc occubuit, Princeps quidem magnanimus; et in castro de Torbesel, ad quod hospitandi gratia secesserat, honorifice est sepultus. Raynaldus de Hamelach, stirpis inclytae, etiam defunctus est, et sub Porticu Ecclesiae Bati Petri Antiochiae est humatus. Mulieres quasi omnes hac lue infectae similiter decesserunt. Inventa sunt diversi sexus et aetatis hac peste durante in ea Urbe mortui ex illo Populo Latinorum plusquam millia quinquaginta. Variae assertiones hujus pestis vulgabantur in Urbe. Nonnulli dicebant, hoc provenisse ex aëre corrupto, Dei occulto iudicio, alii ex immoderata refectione ciborum, quibus famelici abundabant. Hac igitur saeva peste durante, uno omnium clamore popularium maturandum Hierosolymam esse decernunt. Nonnulli tamen Principum usque ad Octobrem propter aestum differendum esse dicebant. Quam sententiam

tandem amplexi, interim Bojamundus in Ciliciam progressus cum armatorum copia, Tharsum, Ardamam, Mamistre, et Anavarze, Civitates obtinuit, easque suis muniens in pace possedit. Multi Euphratem transeuntes, perrexerunt in Ragensem civitatem, cujus erat dominus Balduinus, a quo ingenti laetitia excepti sunt, et muneribus magnis donati. Singula autem, quae Principes tunc peregerunt, et quas Civitates et Oppida acquisiverunt, hoc omittitur loco, ut sermonis prolixitate, progressus eorum ad Urbem Sanctam Hierusalem exprimatur, ut subsequencia declarabunt.

CAP. LIV. De primo progressu ad Urbem Hierusalem, Antiochia capta.

Victoriosus namque Comes Tholosanus, Princeps quidem magnanimus, compassus Christianorum Populo, ducatum quorundam illum obnixè petentium, qui summo desiderio suae peregrinationis affectabant vota complere, civitate Marra, quam armis ceperat, incendio consumpta, cum trecentis equitibus et decem mille peditibus iter arripuit. In hac autem Civitate morati erant diebus aliquibus, ibique defunctus est Hordensis Episcopus. Et quamquam fuisset opulenta Civitas, tantam nihilominus Christiani perpassi sunt famem, ut etiam carnes Turchorum comederent. Dux Northmandiae, et cum eo Tancredus Ducis Apuliae nepos, sequuti sunt Comitem Tholosanum, habentes secum equites mille. Civitates et oppida multa in ipso itinere conquiesierunt, felicibus in cunctis prosperati successibus. Inter has Civitates obtinuerunt antiquissimam urbem Archis nomine satis mari contiguam. Est enim in regione Phoenicis in pede montis Libani sita in saxo durissimo, quatuor

millia passuum a mari distante; frugibus, pascuis, rivis et fontibus abundat. Hanc, ut legitur, Archeus filius Canahan filii Cham filii Noe fundavit, a quo et Archus denominata est. Captivi ex Christianis, qui in ea Urbe erant, ac etiam in urbe Tripoli, per ipsos liberati sunt; nam qui eos in potestate habebant, ut exercitus inde discederet, dimiserunt. Tortosam quoque urbem opulentissimam fugientibus incolis habuerunt. Reliquus autem Populus Latinorum, qui adhuc in Antiochia erant, mense Martio Anno Incarnationis Filii Dei MXCIX. sub Ducatu Godefridi, et Comitum Flandriae, arrepto itinere, qui precesserant, sunt sequuti; quos concomitatus est Bojamundus Antiochiae Princeps usque in Lichiam urbem Syriae, ibique compertus est universus eorum exercitus viginti millia partim peditum, partim equitum armatorum. Deinde reversus est Antiochiam Bojamundus cum suis. Est autem urbs Lichia antiqua valde in maris litore sita. In hac Guinemerus, origine Boloniensis, supra maritimam tenebatur inclusus, qui ante Latinorum adventum quum eam venisset subjicere, adversante sibi fortuna, fuerat a Civibus captivatus. Haec sola Urbs in Syria Constantinopolitano parebat Imperatori. Precibus autem Ducis Godefridi cum suis omnibus restitutus, eundem etiam sequutus est Ducem.

CAP. LV De legatis a Calipha Aegypti transmissis.

Interea Legati missi dudum ad Caliphum Aegypti a Principibus Latinorum, dum Antiochiae obsessi essent, applicuerunt, cum quibus etiam Legati Caliphae advenerant. Erat autem legatio a Calipha Aegypti Latinis hac secunda vice transmissa, a prima valde diversa. Dum enim Latini Antiochiam obsiderent, mandaverat eis ipse

Calipha, quod si contra Soldanum Persarum viriliter agerent, thesauri et victualium eis copiam ministraret. Nunc cum fortunae successibus animum variasset, mandabat, quod si eis concederet, ut si CC. aut CCCC. ex ipsis depositis armis possent Hierusalem ingredi, grande quid reputarent, ipsum illud esse facturum. Quod Christiani audientes commoti ex hoc valde, tale Legatis dedere responsum: *Invito Domino vestro Calipha, omnes simul armis accincti, aciebus dispositis, signisque erectis in Dei nomine, ipsiusque favore visitaturi intrabimus Sanctam Urbem.* Causa enim, quare idem Calipha votum erga Christianos mutaverat, ex hoc prodierat, quod depressa Persarum potentia ex hac victoria Christianorum contra Corberanum, quidam Admiratus ejusdem Caliphae, nomine Emir, eandem Sanctam Urbem, quam Soldanus Persarum XXXVIII. annis possederat, occupavit. Ex quo Calipha in elationis jactantiam mentem erexerat. Ea quoque tempestate Legati Imperatoris Constantinopolitani Alexii querelam coram Principibus Latini exercitus de Bojamundo Antiochiae Principe proponentes, quod ipse contra juramentum universorum Principum, et ipsius Bojamundi, et pactiones cum eodem Imperatore initas, videlicet super acquisitione terrarum Sanctae Terrae, suo assignandarum Imperio, Antiochenam urbem idem Bojamundus detinens restituere contemnebat. Eisdem autem Legatis responsum est a Principibus in haec verba: *Constantinopolitanus Imperator Alexius promisit indistanter cum omnibus copiis nobis adesse subsidio, et victualia mittere exercitui nostro opportuna sub idoneo foro, et quia, neutrum servando, fidem infregit, quod servare possibile sibi erat, in nullo ad sibi promissa tenemur adstricti.* Quumque Legati ipsius

Imperatoris rogarent Principes exercitus, quod progredi differentes ejusdem Imperatoris expectarent adventum, qui maturabatur, assuetis simulationibus cognitis, eis nullatenus acquiescere voluerunt.

CAP. LVI. Castrametatio apud Tripolim et Achon. Et de captione urbis Rama.

Procedente igitur peregrinorum exercitu, inventaque amoena planicie, quae ad quinque millia passuum a Tripolitana urbe distabat, sua tentoria ibi fixit. Dux vero Tripolitanus, qui pro Calipha Aegypti urbem ipsam tenebat, Nuntios ad Latinorum Principes misit, ut percepta ab eo pecuniae summa inde discederent, indemnata provinciam relinquentes. Jam enim Calipha humiliatus erat, advertens, quod Latini ampullosa ipsius verba nequaquam timebant. Latini autem acceptis quindecim millibus Byzantiis, ac restitutis sibi captivis, quos ex Christianis tenebant Tripolitani, sumtisque donis multis in equis, mulis, pannis sericis, et vasis pretiosis, discesserunt inde. Praeterea Dux ipse post eos misit boves, verveces, et victualia multa, ne horum defectu exercitus ipse pagos regionis offenderet. Inter haec etiam venerunt ad eos Syrii, quorum exercitus in Monte Libani erat. Ibi quum essent similiter Christiani, desiderio videndi Latinos et assistendi eis venerunt, ostendentes eis, quibus itineribus essent commodius transituri. Eorum autem consilio maritima litora peragrarunt, habentes semper non longe ab eis naves victualibus onustas, quas Guinemerus, ut dictum est, a Latinis libertati restitutus, nec non Genuae, Cypri, Venetiarum, Rhodi, et multarum Graeciae Insularum negotiatores per mare ducebant. Habebant quoque a latere laevo Libani montem, et multas urbes, et oppida

pertransibant, a dextris omissa urbe Sarepta, in qua fuit Helias, urbem Tyri pervenerunt, et supra Fontem, qui dicitur Puteus aquarum viventium, Gallice vero Fons de Cortilers, castra locarunt, amoenis viridariis circumsepti. Deinde per locorum quasdam angustias, inter mare videlicet et montes transeuntes, in urbis Achon planiciem descenderunt, et in margine cujusdam fluminis tentoria posuerunt. Dux Achon summa illos hospitalitate recipiens, victualium copiam et forum illis competens dedit, et cum Principibus exercitus foedus sancivit, quod si possent Hierusalem armis subjicere, transactis inde diebus viginti, Achon eis daret pacifice. Exinde procedens Latinorum exercitus, habens a laeva Galilaeam, et inter Montem Carmeli ac mare transiens, devenit Caesaream Palestinae secundae Metropolim. Et ibi supra rivum castrametati Pentecostes solemnia peregerunt. Post haec applicuerunt urbem Lyddae, in qua Corpus gloriosi Martyris Georgii requiescit. In cujus honorem Justinianus Imperator Basilicam ibi mirandi operis fabricavit, quam Turchi audito Peregrinorum adventu igne immisso everterunt, ne ipsam Latini munirent; erat enim foris Civitatem. Interea Flandriae Comes accitis secum quingentis equitibus in Rama urbe non longe inde perrexit, quam dum a Turchis desolatam comperisset, cunctisque bonis refertam, ascenderant enim Latinorum timore montana, reliquus ibi exercitus properavit. In hac urbe Rama tunc Christiani Episcopum ordinarunt Northmandum quemdam nomine Robertum, in Archiepiscopatu Rothomagensi ortum, eique civitates Lyddam et Rames cum pagis adjoacentibus subdiderunt, suae acquisitionis in eadem regione provincias Beato Georgio offerentes. Tertio post haec die iter versus

Sanctam Urbem Hierusalem prosequuti sunt cum eorum copiis universis.

CAP. LVII. De munitione facta a Turchis causa tuendi Hierusalem a Christianis.

Turchi interea, qui Hierusalem habitabant, cognito quod Latini cum magnis copiis ad Urbem ipsam festinebant, opportunis eam omnibus munierunt. Marram quippe Civitas ferrum, chalybem, et cuncta, quibus obsessi indigent, illis transmisit. Aegypti Calipha, qui noviter ipsam urbem Hierusalem occupaverat, iussit tures, et moenia reparari, et de novo instrui, et ut eam Turchi inhabitantes strenue defenderent, immunitatem illis concessit. Unde et multi ex locis adjacentibus ad inhabitandum eam venerunt. Quumque maligno instigati spiritu omnes Christianos, qui in ea erant, interimere, et Sancti Sepulcri gloriosam Ecclesiam funditus evertere, ac Sepulcrum Dominicum inde auferre decrevissent, ut per haec Christianis advenientibus spes omnis suae peregrinationis esset explosa, et numquam devotionis causa Urbem ipsam visitare curarent, tandem superna provisio illorum coëgit decreta mutari. Attendentes enim, quod ex his Christiani adversus eos implacabile conciperent odium, et in ultionem sumendam ultimum de potentia facerent, crudele minoraverunt propositum. Praeceperunt namque Patriarchae Hiersolymitano, et reliquis Christianis sub interminatione mortis, et eversione cunctarum Ecclesiarum, quod persolverent quadraginta mille Bysantios. Pro qua quidem pecunia recuperanda quum Christianorum non suppetere facultates, ad eam persolvendam Patriarcha Cyprum adiit. Quumque soluta fuisset, non contenti adhuc Turchi, sed more ferarum saevientes in Christianos,

omnes, exceptis dumtaxat mulieribus et infantibus, ab Urbe ipsa egredi coegerunt. Inter haec Christianorum exercitus apud Nicopolim applicuit, sitam in provincia Palestinae. Est autem Civitas, quam Lucas Evangelista Emmaus castrum nominat. Ibi Fons oritur, variis infirmitatibus medicinalis, in quo dicitur Christus cum Discipulis adveniens pedes lavasse, et sanctificari Fons ideo meruisse. Tunc Christiani, qui Bethleem Urbem tenebant, nuntios Duci Godefrido miserunt, subsidium implorantes. Timebant enim, ne Turchi, qui ex Civitatibus et oppidis Hierosolymam confluebant, eos invaderent, et Ecclesias eorum everterent. Haec est Civitas Bethleemitana, veri David ortu insignis, duabus leucis a Hierusalem contra Austrum sita. Ad hujus Civitatis subsidium tunc missus est Tancredus cum centum equitibus, qui a Clero et Populo processionaliter receptus est, et in Ecclesia, quae in loco, ubi Virgo Virginum peperit Salvatorem, deductus, et Praesepe ostenso, in quo gloriosus ille puer quievit, Coeli et Terrae Creator. His laetus Tancredus; statim Bethleemitani sub spe firma potiundae victoriae vexillum ejus supra Basilicam Beatae Virginis erexerunt.

CAP. LVIII. *De laetitia Peregrinorum exercitus visa Hierusalem, et de situ ejusdem Civitatis.*

Inter haec proficiscens Christianorum exercitus versus Sanctam illam civitatem Hierusalem, dum eam Peregrini vicinam adesse conspiceret, o quanta lacrymarum devota effusio, o quantus prae gaudio gemitus, quantave suspiria pietatis! Omnes enim in spiritu vehementi flexis genibus et corpore prostrato, palmis ad coelum tensis, discalceati terram deosculabantur, Salvatori gratias agentes, quod videre meruissent exultationem universae

Terrae, Civitatem Regis magni, in qua sui pretiosi sanguinis effusione dignatus erat Mundum redimere de faucibus dirae mortis. Tunc apparuerunt devotae peregrinationis insignia, tanto exultantium tripudio, videndo locum gloriae Salvatoris, ut labores, quos peregrinando subierant, afferrent solatia, et ipsa etiam progrediendi festinatio mora videretur eisdem. Tunc patuit adimpletum, quod dictum fuerat per Prophetam: *Leva Hierusalem oculos tuos, et vide potentiam. Rex enim Salvator tuus venit solvere vincula.* Quia vero de hac Urbe Sancta dicta sunt et dicuntur quotidie gloriosa, offert se nunc locus de situ ejus, et mirabilibus, quae in ea facta sunt, aliqua dicere, antequam ad obsidionis initium procedatur.

CAP. LIX. *De situ Hierusalem.*

Hierusalem civitas summi Dei, de qua Psalmista loquitur, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, sita est in terra montuosa, in circuitu fertilis et bona, praeterquam contra Orientem et Jordanem. Est autem in centro Mundi posita, totius Judaeae Metropolis. Cui ab Oriente adjacet Arabia, flumenque Jordanis, a Meridie Aegyptus, ab Occidente Mare Magnum, et Philistaeorum Terra, a Septemtrione Syria et Mare Cypriacum. Ab antiquis temporibus fuit communis patria nationum, quae ad Loca sancta colenda illuc de quibuslibet Mundi partibus convenerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur in missione Spiritus Sancti *Parthi, Medi, et Elamitae etc.* Haec primo dicta fuit Salem, quam Judaei dicunt Melchisedech in Syria condidisse, et in ea primum Abrahae panem et vinum in sacrificio obtulisse. Postmodum a Jebusaeis dicta est Jebus, quibus tempore David ejectis, qui jam regnaverat in Ebron annis septem,

his duobus copulatis nominibus, vocata est Hierusalem. Sed postea a Salomone in melius restaurata, Hierosolyma dicta est, quasi Hierosolusolomenia, quae Solona corrupte dicitur a Poëtis. Demum Aelius Adrianus Imperator illam a Tito Vespasiani Imperatoris filio eversam restaurans denominavit Aeliam. Fuit a primo in declivi latere montis sita, ab Oriente et Meridie posita..... Sion et Moriae montium. Aelius Adrianus Imperator, de quo dictum est, totam Urbem transtulit in verticem montis, sicque locus, in quo crucifixus est Dominus, et Sepulcrum in quo quievit, fuerunt intra moenia urbis inclusi. *Sed Brocardus, qui Terram Sanctam visitavit annis quindecim, dicit, hoc fabulosum fuisse, asserens, non esse Civitatem alio loco sitam, quam fuerit tempore Dominicae Passionis. Tamen dicit in latitudinem fuisse, non in longitudinem ampliata.*

CAP. LX. *De Vallibus ejus.*

Est autem profundissimarum Vallium gyro cincta. Habet enim ab Oriente Josaphat Vallem, in qua est insignis Ecclesia Matris Dei, et ibi creditur fuisse sepulta, ejusque sepulcrum usque in hodiernum diem ostenditur. Desuper est Torrens Cedron, quem Christus Passionis tempore, ut in Johanne legitur, pertransivit. A Meridie est Vallis Hermon, in qua ostenditur ager Alchedemach, quem Judaei XXX. argenteis, quibus Judas Dominum prodiderat, emerunt in Peregrinorum sepulturam. Ab Occidente est Vallis, in qua habetur antiqua Piscina, tempore Regum Juda insignis habita, et protenditur usque ad Stagnum superiorem, qui Lacus hodie dicitur Patriarchae, juxta vetus Coemeterium, quod est in loco, qui dicitur Antrum Leonis. A Septemtrione planum

iter pater in urbe; ibi locus lapidationis Beati Stephani ostenditur.

CAP. LXI. *De Turri David.*

Ut autem jam dictum est, inter duos montes Hierusalem sita, intra moenia Vallem habet, quae in duas partes dividit ipsam urbem. Est quoque ab Occidente mons Sion, in cuius vertice est Ecclesia dicta Sion, a qua non procul Turris David habetur. Est autem Turris ipsa in quodam colle praetuptae rupis competenter eminenti, forte quidem municipium, moeniis scilicet, et barbicanis apparentibus super urbem.

CAP. LXII. *De Ecclesia Sancti Sepulcri.*

In descensu vero versus Orientem est Ecclesia Sancti Sepulcri formae sphaericae, tenens inter caetera Loca Sancta principatum. Est etiam ejusdem fabricae structura mirabilis. Habet enim per diametrum inter columnas LXXIII. pedes praeter absides, quae habent per circuitum a muro exteriori Ecclesiae XXX. pedes. Super Sepulcrum Domini, quod est in medio ejusdem Ecclesiae, est apertura rotunda, ita ut tota crypta Sancti Sepulcri sit sub clivo.

CAP. LXIII. *De situ Templi Domini.*

Templum Domini in declivo montis Moriae, qui ad Meridiem respicit, situm est, ubi David Rex porticum emit ad reponendum Arcam Domini, et Salomon mandato Dei Templum ipsum aedificavit, quod Haumarus filius Caraph Principis Arabiae, ut dictum est supra, restaurari mandavit, a Cosdroë eversum cum ipsa urbe. Circumcingitur autem porticu quadra longitudinis et latitudinis, quantum bis jacere

posset arcus, moeniis fortissimis undique septa, et altitudinis mediae. Ab Occidente duas habet portas, per quas aditus patet ad Templum, quarum una dicitur Speciosa, ubi Beatus Petrus claudum a natura curavit; alio nullo nomine nuncupatur. A Septemtrione etiam est Porta. Similiter et ab Oriente alia, quae Aurea dicitur. A Meridie sita est Regia, quae Templum dicitur Salomonis. Super unamquamque Portam super angulos sunt Turres excelsae, in quibus consueverant Saracenorum Sacerdotes statutis horis ascendere, admonentes Populum, ut oraret. Nunc subversae sunt, praeter aliquas, quae videntur adhuc. Infra Templi ambitum, sive Atrium, nemini erat licitum habitare, nec non nisi lotis et nudis pedibus introire, quod deputati in singulis Portis custodes diligentissime observabant. In medio hujus plateae sive Porticus erat aliud Atrium eminens valde, et per quatuor angulos quadrum, habens aditus ob occiduo et a meridie per gradus. Ab Oriente vero per unam viam ascenditur. In singulis angulis esse consueverunt Saracenorum Oratoria, quorum adhuc quaedam apparent. In medio hujus eminentioris Porticus situatum est Templum Domini, octo quadraturis et totidem angulis fabricatum. Muri ejus intus et foris lapidibus marmoreis compacti sunt, mosaico opere mirabiliter elaborati. Tectum ejus plumbeum, forma sphericum et artificiose constructum. Pavimentum platearum, sive porticum candidis marmoribus stratum. Aqua pluvialis, quae de Templo descendebat, colligebatur in cisternas, quae intra moenia Templi erant. In medio situ Templi, videlicet in platea, quae intra columnas est, Ara aliquantulum prominet, ubi dicitur, Angelum Domini consedissee, quando propter delictum David dinumerantis gentem suam Populum

interemit, nec cessavit a caede, donec Dominus iussit, ut gladium in vaginam remitteret. Ibi David erexit altare.

CAP. LXIV. *De restauratione Templi.*

Hoc Templum pro incontinentia Principis et Populi exspoliavit Nabuch per Nabuzardam Principem tempore Regis Sedeciae. Paulo post Pharaos Nechao ipsum Templum delevit, et Urbem. De hujus Templi restauratore, ut nunc est, variae sunt opiniones. Quidam enim sub Constantino Imperatore ab Helena matre sua raedificatum fuisse perhibent pro reverentia Sanctae Crucis ab ea repertae. Alii ab Heraclio Imperatore pro reverentia Ligni Domini, quo de Perside triumphans tulerat. Alii Justiniano Augusto; alii a quodam Imperatore Memphis Aegypti pro reverentia Aliquibar; idest Summi Dei. Alii, ut supra scriptum est in principio hujus Historiae, ab Haumaro Principe Aegypti. Et quoniam ipsum colendum ab omni lingua reverenter veneratur, praesens hoc, inquam, Templum tertium praedicatur, cujus in.... VIII. die Natalis sui puer Jesus circumcisisus est. Ibi a matre sua praesentatus est, et a Sancto Symeone receptus. De eodem ipse vendentes et ementes ejecit. In eo adulteram ab accusantibus liberavit. Ibi laudavit viduae minuta, quae totum dederat, quod habebat, in gazophylacium. Ibi dum moraretur in Hierusalem, docebat Judaeos, licet eum aemulantes. Super pinnaculum ipsius Templi statuit eum Diabolus. De ipso fuit praecipitatus Beatus Jacobus primus sub gratia Episcopus in Hierusalem. In eo enuntiata fuit ab Angelo Zachariae nativitas Beati Johannis Baptistae. Inter ipsum et altare Zacharias filius Brachiae Martyr occubuit. Supra altare ipsius sacrificare solebant Judaei turtures et columbas, quod a Saracenis postea mutatum

fuit in Horologium, et adhuc videri potest. In hoc autem Templo collocatum erat simulacrum Mahomet, quum Saraceni Sanctam, ut dictum est, Urbem occupassent.

CAP. LXV. *De nomine Terrae Hierosolymitane, et fontibus ac piscinis Hierusalem.*

Terra autem Hierosolymitana ideo est dicta Judaea, quia dum decem Tribus secesserunt a Roboam filio Salomonis, et Jeroboam adhaeserunt, duae Tribus reliquae, quae de Tribu Juda Reges hebebant, Judaei sunt dicti; aliae decem, quae in Samaria Regis sibi constituerunt, Israël sunt dictae a populi magnitudine. Fuit quoque prius dicta Canaam a filio Cham, sive a decem Chananaeorum gentibus, quibus expulsis Judaei eam possederunt. Haec et Palaestina propter Philistaeos etiam vocata est. In medio autem Judaeae civitas est Hierosolyma, variarum opum dives, unde secundum electorum gratiam putaverunt Judaei esse promissam fluentem lac et mel. Est quoque velut umblicus in medio terrae promissionis sita, de quo loquitur Josue Propheta dicens: *A deserto, et Monte Libani, et a magno fluvio Euphrate usque ad mare versus Occasum erunt termini vestri.* Locus, in quo, ut jam dictum est, habetur Civitas, aridissimus est. Caret enim aquis, exceptis pluvialibus. Hiberno enim tempore aqua ipsa colligitur in cisternis, quae ad usum habitantium per annum sufficit. Legitur tamen quod extra Urbem fontes esse consueverunt, fluentes in Urbe, sed ab hostibus obstrusi fuerunt. Major ex fontibus fuit Gyon, quem praecusit Rex Ezechias. Gyon autem nunc locus est in Urbe a plaga australi inter Vallem Hermon, ubi est Ecclesia Sancti Purcopae Martyris, in quo loco Salomon fuit unctus in Regem. Sunt et alii fontes duobus aut

tribus millibus passuum ab Urbe distantes, sed pauci et medium fluentes. A plaga etiam meridionali in descensu Vallium est nominatissimus ille fons, Siloë dictus, in quo coecus a nativitate visum recepit, distans a Civitate passibus mille, qui non jugibus aquis, sed in certis diebus et horis ebullit, et maxime tertia die. Omnis exitus autem fontium et cisternarum circa Urbem usque ad sex millia passuum, Turchi obstruxerunt, audito Peregrinorum adventu, ut aquarum defectu non possent in obsidione morari. Ex quo, ut infra dicitur, gravem atque penuriam Christiani perpassi sunt. Qui vero in Urbe erant, ea plurimum abundarunt. Decurrebant enim aquae subterraneis canalibus in duabus magnis piscinis, quae in Urbe erant juxta Templum. Ex quibus adhuc videtur, quae dicta est Piscina Probatica, in qua carnes animalium sacrificii lavabantur; de qua in Evangelio dicitur, quod quinque porticus habebat, in quibus descendens Angelus movebat aquas; et qui prior post motum Angeli intrabat, sanus efficiebatur. In ea Dominus claudum sanavit. Probatica autem dicta est a *Probaton* Graeco, quod Latine dicitur *Ovis*. Inde Probatica Piscina ab carnum ovium lotionem. Nunc his omissis, redeundum est ad Historiae seriem, qualiter videlicet Latinorum exercitus Urbem obsedit.

CAP. LXVI. *De initio obsidionis Hierusalem, et dispositione castrorum exercitus Latinorum.*

Anno Incarnat. Salvatoris nostri MXCIX. Septima die mensis Junii, Christianorum exercitus ante Urbem Hierusalem castrametatus est. Erant autem numero quadraginta milia sexus utriusque, sed ad proelium habiles viginti millia peditum, et mille quingentos equites habebant. Reliqui inter imbelles, senes, et

debiles, mulieres, et parvuli. Intra Urbem erant electi ad arma quadraginta mille. Multi enim ab Urbibus et oppidis circumstantibus venerant urbis subsidio. Obsidionis itaque initio Christiani consuluerunt quosdam Fideles, qui tunc erant ab Urbe egressi, qua in parte posset Urbs commodius obsideri. Advertebant enim, quod a Meridionali et Orientali plaga profunditate Vallium Urbs inexpugnabilis erat. Communi tamen sententia decreverunt, a Septemtrionis parte castra locare, sic quod a Porta Sancti Stephani usque ad Portam David locatus est omnis exercitus. Dux Godefridus primum locum obtinuit, post quem Comes Flandriae fuit, tertium Dux tenuit Northmandiae, quartum habuit Tancredus juxta Turrim in angulo positam, quae Turris Tancredi usque hodie dicitur; et cum eo fuerunt multi illustres viri. Ab ipsa Turri quinto loco usque ad occidentalem Portam Tholosanus Comes cum suis campum accepit.

CAP. LXVII. *De Ecclesia Sion*

Tancredus postmodum, quum vidisset se locum non habere ad insultus contra hostes accommodum, supra collem, in quo sita est Urbs, videlicet inter ipsam Urbem et Ecclesiam, quae Syon dicitur, ab Urbe per jactum lapidis distantem castra mutavit, hac intentione, ut et hostibus saevius insultaret, et ab eis Ecclesiam ipsam defenderet multae devotionis insignem. In ea quippe cum Discipulis Christus coenavit, et pedes eorum lavit. Ibi super Apostolos Spiritus Sanctus descendit igneis linguis. Ibi Dei Genitrix migravit a Mundo, cujus ibi adhuc Sepulcrum ostenditur. Hoc modo castrametato Christianorum exercitu compertum est mediam ferme Urbem obsessam. Quinto vero obsidionis die aggressi sunt Urbem, magnaue virtute pugnantes

veluti divini operis pugiles in ipso primo aggressu barbacanas ceperunt, et Turres inter excelsa moenia everterunt, sic quod Turchi ex tam virili aggressu destituti animis fuerunt, ut si Christiani instrumenta ad ascensum murorum tunc habuissent, eadem profecto die fuissent Urbem ingressi. Quumque proelium a mane usque ad meridiem perdurasset, Christiani ad Urbis tunc introitum propter instrumentorum et apparatusum defectum se modicum adverterent posse proficere, signo dato receptui, ad tentoria rediere. Accitis igitur Fabris lignariis, lignorum multa materia praeparata, festinanter Petrarias, Machinas, Mangana, et alia instrumenta ad expugnandum necessaria fabricari mandarunt. Omnes autem operarii propriis ad hoc opus sumtibus insistebant, pauperibus exceptis, quibus erogabantur merces de proprio. Tholosanus Comes in his et aliis multa largitus est. Nullus fere operari confundebatur, attendentes se incassum peregrinasse, nisi Sanctam acquirerent Civitatem.

CAP. LXVIII. *De afflictione sitis in exercitu Christianorum, et de adventu Genuensium.*

Obsessa igitur, ut dictum est, Urbe Hierusalem, Christianos ex aquae penuria multa arctari angustia contigit. Turchi enim, ut praedictum est, cognito eorum adventu, fontes, puteos, et cisternas repleverant, quorum tamen nonnullos Bethleemitani eis ostebant. Non enim fons Siloë illis sufficere poterat, quum nec assidue scaturiret. Aestus etiam et sitis augmentabat molestias: vehementius vero equi et alia jumenta affligebantur ex potus defectu, ita ut sine custode palantes ad aquas quaerendas diu siti languida morte corruerent. Nec minus tunc siti afflicti sunt Latini, quam in

Antiochia fame. Singulis diebus deficientibus peste sitis, numerus minuebatur ipsorum. Saepe etiam Turchi ipsos Latinos ad Urbes et Oppida pro victualibus discurrentes occidebant, et animalia in Hierusalem cum oneribus deducebant. Multi quoque in ipso exercitu morbo correpti peribant. Nemo ad exercitum superveniebat de novo. Obsessorum autem numerus quotidie augebatur, novoque auxiliarium subsidio et victualium delatione refocillabantur obsessi. Patebat eis siquidem egressus et ingressus a reliqua Urbis medietate, quam non cingebat obsidio. Laborabant praeterea continue super defensionum apparatus, quorum materia plurimum abundabant, praemuniti ea ante Latinorum adventum, Christianos, qui tunc in Urbe erant, immani servitute gravabant, ita ut mortuis inviderent. Inter haec nuntiatum est Latinorum Principibus, Januenses naves Portum Japhet appulisse. Requirebant Januenses ab ipsis Principibus comitatum, quo securi ad exercitum ipsum veniret; quumque Tholosanus Comes LXXX. equites et L. pedites direxisset ad eos, contigit eos cum Turchis configere. Erant enim sexcenti in equis; quibus in fugam a Latinis conversis, ducenti ex eis interemti sunt, ex Christianis vero sex, inter quos duo viri generosi fuerunt Gilebertus Treverensis, et Aycardus de Montemelle. Victoriosi autem ad Portum Japhet pervenientes Latini a Genuensibus gaudenter excepti sunt. Nocte vero sequenti clam supervenerunt Aegyptii cum classe eorum, quam habebant in Calidoniae portu. Quibus dum Januenses non posse resistere adverterent, statim recollectis armis, velis, funibus, et quibuscumque aliis, se intra Japhet municipia receperunt cum his, quos Comes miserat Tholosanus. Erat autem Civitas ipsa paulo ante ab incolis Latinorum metu relictā. Post haec ad exercitum

pervenerunt, quorum adventus ad praeparamentorum hostilium fabricamenta, utpote virorum expertorum in talibus, fuit valde perutilis, brevique tempora omnia sunt peracta.

CAP. LXIX. De pace et processione facta ab exercitu Latinorum.

Post haec Prelatorum suasu ac monitione salubri facta est inter Christianos exercitus pax universalis, et omnium injuriarum remissio, et solemni processione profecti sunt nudis pedibus ad Montem Oliveti, triduo prius servato jejunio, contritis animis, piisque lacrymis Domino supplicantes, ut pietate solita dignaretur sui Populi acceptare servitia, et per eos haereditatem suam eximere de manibus Barbarorum. Petrus Eremita a parte una, et Arnoldus Ducis Northmandiae Capellanus, vir admodum literatus ab alia, fecerunt sermonem ad Populum, blandis eos monitis, et exemplis efficacibus inducentes et hortantes, ut viriliter assumerent negotium Jesu Christi; eligibilis fore asserentes illos in hoc mori, quam vivere, ac felicius pro Christi concessione mortem in gloriam commutare, quam subjici miseriis et aerumnis vitae praesentis. Cum multis itaque lacrymarum profluviis, processione devote peracta, descendit exercitus de Monte ipso Oliveti, qui est in opposito Hierusalem a plaga orientali circa mille passus distante ab ipsa urbe, in quorum medio Vallis est Josaphat; venitque ad Ecclesiam Montis Syon, quae, ut dictum est, sedet a parte Australi in ejusdem vertice montis posita. Saraceni, qui in Urbe erant, Turres et moenia ascendentes, mirabantur super his, quae Latini agebant, et in eos sagittas et spicula jaciebant. Supra Cruces etiam, quas ad moenia deferebant,

horrenda quaeque non verebantur committere. Quibus Christiani magis ac magis animabantur ad ulciscendas injurias Jesu Christi. Processione peracta, communi omnium voto dies statuitur ad pugnam, opportunis omnibus praeparatis ad menia expugnanda. Sed ipsa nocte dies pugnam praecedente, Dux Godefridus, Comes Flandriae, et Dux Northmandiae, Principes magnanimi, quum a parte obsidionis Urbs ab hostibus esset ad defensionem munita, industria mirabili rem mirabiliorem aggressi, castella lignea, machinas, et alia expugnandi praeparamenta, nondum simul compacta, ad partem aliam Urbis, cujus munitionibus Turchi parum intenderant, deferri fecerunt. Sicque noctem illam ducentes insomnem, ante ortum Solis omnia praepararunt, erigentes castellum tantae altitudinis, ut in eo consistentes fere adhaerent hostibus, qui in parva Turri erant. Quod quum mane Turchi vidissent, tanto tamque subito opere stupefacti sunt. Distabant enim erecta instrumenta a castris per dimidium milliare. Erant etiam et alia instrumenta a caeteris Principibus erecta; atque disposita in stativis eorum; nec non nisi pugna restabat, ad quam Christiani unanimiter aspirabant, disponentes potius mortem subire, quam a tam pio tamque necessario Christi negotio resilire. Senes quoque obliti aetatis, infirmi aegritudinis immemores, mulieres et parvuli imbecillitatis sexus et aetatis ignari, ipsum proelium capescebant.

CAP. LXX. *De secundo proelio contra Urbem Hierusalem.*

Mane itaque facto, quo fuerat pugnare decretum, Christiani signo Crucis muniti, et armis accincti durum inchoant proelium, quo usque ad horam ferme

Vesperarum productum est. Tanta ibi erat hinc inde lapidum et sagittarum ac spiculorum emissio, ut ex collisione condensa igne aërem illustrarent. A tribus partibus Urbis tam viriliter pugnabatur, ut ubi Mars durius insisteret, non esset facile judicare. Christiani totis insistebant viribus ad replendum fossas, ut castellum possent ad moenia Urbis deducere, quae tamen profundissimae erant. Sed Turchi ex adverso viriliter resistebant; crebro in ipso castello ignem jacentes, ita ut stupendum esset videre sagittas ardentes, sudes ignitas, et ollas sulphure, pice, oleoque refertas, lapidum quoque contusiones assiduas, quibus castellum mirabiliter impetebant; pugnatore, qui in eo erant, laedentes interdum. Latini autem indefesse pugnantes, vino et aceto ignem exinguebant immisum. Habebant asses et ligna, quibus contusiones assidue reparabant, et ipsum obfirmabant castellum. Ictus tamen petrarum et machinarum Christianorum non multum laedebant moenia Urbis. Turchi tamen saccos foeno, bombacine, lana, et foliis plenos, ingentes quoque chordarum et funium globos, et magna tentoriorum et papilionum involucra ante ipsa moenia obfirmaverant, quae lapidum ictus reciperent. Erat etiam ipsis Turchis balistarum, arcuum, tormentorum, machinarum, et aliorum hujusmodi copia longe major, quibus ad ipsum Christianorum progressum virilius ac facilius resistebant. Tandem hoc dirum et dicriminosum proelium, stupendumque aggressum nox ipsa subsequuta diremit. Dimissis igitur, qui Castelli praeessent custodiae, et receptui signo dato, caeteri ad castra pro fovendis et curandis corporibus redierunt. Turchi quoque ad moenia defensores strenuos dimiserunt. Timebant enim, ne Christiani scalis nocte

moeniis apposis Urbem intrarent. Excubias etiam deputarunt nocte tota circumeuntes Urbem, et Turrium ac moeniorum sollicitantes custodes. In iis siquidem ipsius et liberorum, et conjugum, et omnis substantiae tutela pendebat. Christiani, qui ad castra redierant, non quidem lassitudinem sentiebant, sed in ipsa pugnandi hesterna instantia etiam se se pigritasse dicebant, ipsumque ad pugnam reassumendam desiderium potius affligebat, quam eos hesternum proelium aggravasset.